



EXERCITATIONUM ANATOMICARUM
IN PUBLICAS LECTIONES

DE IIS QUÆ CONTRA

PERITIAM VETE-
RUM ANATOMICAM

afferuntur

IN GENERE,
PRIMA,

^{Quam}
AMPLISSIMÆ FACULTATIS
MEDICÆ CONSENSU

PRÆSIDE

PHILIPPO JACOBO Hartmann/
Phil. & Med. D. P. P.

Examini eruditorum,
submittit

JOHANNES SIGISMUNDUS LANGE,
REGIOM: PRUSSUS,

D. 21. Mart. 1684.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND.
ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.

15

1684, 2

SERENISSIMÆ ac CELSISSIMÆ
PRINCIPI ac DOMINÆ

DN. LUDOVICÆ
CAROLINÆ

MARCHIONISSÆ BRANDENBURGI-
CÆ, BORUSSIÆ, MAGDEBURGI, JULIÆ, CLIVIÆ,
MONTIUM, STETINI, POMERANORUM, CAS-
SUBIORUM, VANDALORUM, IN SILESIA ITEM,
CROSNÆ, CARNOVIÆq; NEC NON BIRSARUM,
DUBINCORUM, SLUCIÆ & KOPYLI

DU CI,
BURGGRABIÆ NORIBERGENSEI,
HALBERSTADII MINDÆ & CAMINI

PRINCIPI,
MARCÆ & RAVENSBERGÆ

COMITI,
RAVENSTEINI, LAUENBURGI, BUTAVIÆ,
NEVELLÆ INSUPER & SEBISIÆ

DOMINÆ
&c. &c. &c.

DOMINÆ MEÆ CLEMENTISSIMÆ.

SERE.

SERENISSIMA ac CELSISSIMA MAR-
CHIONISSA, PRINCEPS ac DOMINA
CLEMENTISSIMA.

COrpus licet invidere possit, gratiam tamen Sol nescit
eripere mortalibus. Quod præsens universo impertivit
largiter lumen, facit ut absentis ex pluribus eluceat
effigies, vel noctes in sideribus luculentum ejus aspiciunt fulgo-
rem; & umbræ loquuntur vim radiorum, qui nec tenebras
muneris voluerunt exsortes. Sic nec TUUS, SERENISSI-
MA PRINCEPS, nostro pectore elabi novit VULTUS,
eum absens maximè sit præsens: CUJUS tot decora, tot
prostant imagines; quot exempla, quot monumenta beneficio-
rum his Terris reliquisti insignia: Non luminibus modò affun-
dens lumen, sed & ignotos gratiâ illustrans haud minori.
Principum est benefaciendo reliquum superare censum; Deo-
rum prorsus beneficentiam ad omnes extendere. Neq; adsci-
titia ista TUÆ SERENITATIS est virtus, sed genuina;
Non acquisita, sed avita; Non peregrina, sed domestica.
Malè respondent beneficia coacta; RADIVILIIS autem
cum benefacere sit innatum, nullum hic à gratia metuen-
dum periculum. Idq; adeò, SERENISSIMA PRINCEPS,
beneficiorum in Parentem, cujus ingravescens senium ne nunc
quidem TUA CLEMENTIA fovere desistit, memor SA-
CRATISSIMO NOMINI TUO primitias studiorum con-
secrare ausim. Auspicatò fieri nequit, quod non à Numine
sortitur

fortitur primordia. Proximus à Deo Principum est honor.
Sub **TUIS** igitur **SERENISSIMA PRINCEPS**, auspiciis
mea studia initium sumere indulgentissimè concedas; cum finem
eadem non sint habitura alium, quam quod naçta sunt auspi-
cium. TUÆ SERENITATI me meaq, eadē pietate, eadē
fide, quā sua & semetipsum, dicavit, dicatq, Parens. DEUS
SERENITATEM TUAM servet! **PATRIÆ PATRI**
Nurum servet Piam! **Augustam servet LUDOVICO**
Conjugem. Marchionissam servet DOMUI BRAN-
DENBURGICÆ felicem! **ECCLESIAE, PATRIÆ,**
OMNIBUS BONIS, PRINCIPEM servet OPTI-
MAM!

CELSISSIMÆ SERENITATIS TUÆ

devotissimus & subiectissimus
Client

Johannes Sigismundus Lange,
Reg. Pruss,

I. N. J.
CAPUT I.

I.

Veterum & Recentiorum in Anatomicis peritia; quorum potior habenda? Et quis hujus disquisitionis usus? II. Dispositio tractandorum, III. Quod Veteres omne animalium genus anatomie subjecerint. IV. Objectio ex Galeno. V. De Anatomia utili & inutili. VI. Cur Galenus abstinnerit minimorum anatomie. VII. Quod licet Galenus abstinnerit, non tamen propterea tota Antiquitas eadem abstinuisse censenda. VIII. Quod Prisci non solum in minimis, sed & in maximis animalium, anatomem instituerint. IX. An etiam rectè in rem suam Anatomem minimorum verterint? X. Eorundem Consilium in Anatomie variorum animalium.

S. I.



Vultis primis Anatomica originibus, & quæ proxima sunt originibus: incrementa Ejus & vigorem à restauratione, his proximis seculis; cum adolescentiâ, & flore quò ad Galenum usq; antiquioribus temporibus speciosa fuit, si conferam, operæ pretium me facturum æstimo. Imprimis cum sint, qui Priscos deridendos propinent, atq; rudissimorum instar prostituunt. Quò ipsò non potest non totius Antiquitatis contemptus animis obrepere, qui, præterquam, quod cum insolentiæ & arrogantia vitio est conjunctus, etiam illud damni infert, ut illa bona, quibus ex Veteribus pleriq; ferè omnes, præ nostris citra dubium excelluerunt, perditum eamus: methodum intelligo demonstrandi, quâ revera antiquum sapit, qui sapit: adeò malè consuta & contexta, quæ vulgo passim nunc traduntur, coherent. Galenus cum tantus fuerit, ut etiam experientiâ anatomicâ præprimis antecellere creditus sit Averroi, ab eodem tamen frustra habitis experimentis, quod non rectè ex illis disputet, sive adversus Aristotelem sive adversus ipsam rerum veritatem, reprehenditur e. g. in 2. de P. A. de cerebro: Sed de his rebus, quicquid per anatomiam vidit Galenus, & alii post Aristotelem, potius approbat & perficit verba Aristotelis, quam contradicat, vel inconveniat dictis Aristotelis: ut

A

Galenus

Galenus putat. Ejusmodi & paulo ante: de carne, principio tactus: Neq; demonstrationi obstare: quod per Anatomiam apparuit, postea ipsi Galeno, vel aliis: O quam admirabilis est divina virtus existens in demonstratione hujus viri: Et quam dissona est primo intuitu &c. Eademq; mens ante ipsum Avicenna fuit, l. 1. Fen. 1. Doctrin. VI c. 1. Quin ipse Galenus ostendit sapius, imprimis in libris de Placitis Hipp. & Pl. quod perperam complures ex Anatomia Demonstrationes ducantur; distinguens, quod non omnes controversiae ex Anatomicis, & quae solum decidi possint, & quomodo. Facemq; ipsi praeluxit Philosophus, quando 4. P. A. 8. f. disertè enarrat ex Anatome addiscenda, tria se. 1. quis situs singularum partium: 2. quâ differentiâ inter se discrepent 3. quibus mares à foeminis distideant. conf. L. 2, 3. l. 3, 5. f. 1. H. A. 17. l. G. A. 11. Quae res peculiari operâ digna, fructu non contemnendo, quò scil. edoceremur, quae demonstrationes ex Anatome deducendae, quae minus? & quomodo? in magmentum Physicæ insigne. Dabitur infra occasio quaedam afferendi, omnia absolventi, aliud erit tempus. Illud præterea, ex collatione nostri temporis Eruditorum, cum illis Prisci ævi, commodi exlurget: Ut si liquidum reddam, pauca admodum à nostrâ ætate inventa, aut rectius tractata, in admirationem Antiquitatis rapiamur, & eò ferventius scripta complectamur: cum tam parva tot annis, totq; studiis, Anatomicam incrementa sortitam intelligimus: præterquam quod pudor sit, ea nescire, quae & ex Recentioribus, & ex Antiquis discere potueras. Aut, si tanta nostri seculi est gloria, ut pluribus præpolleat, hæc emensis itinera dispiciendum erit an difficiliora restent, ut illud plus ultra meditemur, semper enim erunt desideria, quibus omnis ætas flagret. Neq; enim uni ævo si ulli, datum est scientiæ fontes exhaurire. Quin, cum sæpius contingat, ut aliis seculis inter deperdita numeretur, quod aliis obtinuit usu frequentissimum, & hinc opportunum erit, si quae ex Antiquorum disciplinâ nostram industriam effugerunt, in lucem illa ut protrahamus. Utcunq; hæc se habeant, cum vitio quidem careat Antiquos & accusare & defendere, defendere verò sit honestius, hujus quidem partes, salvo veritatis Judicio, meas facere volui. Imitaturus Galenum, qui contra Lycum, illum quidem non damnat, quod Hippocratem notavit; se verò excusat, quod Præceptorem à notis eximat. Non est sanè inquit, aut Lycus, aut quivis alius

3
alius, qui id ipsum facere voluerit, quod contra Hippocratem scripserit, accusandus, atq; adeò longè etiam minus illi accusandi sunt, qui cum ea, quæ Hippocrati perperam crimini dant dissolvere possunt, bis, qui utriusq; libros lecturi sunt, tanquam iudicibus constitutis, defensionem suscipiant: idq; imprimis, cum ii, qui criminantur, adeò anteaquam ea, quæ ab eo dicuntur, noverint, sint insolentes: qui verò defendit, apprimè sit decretis antiqui istius auctoris eruditus. H. I. Daturus tamen sum operam, ut dum causam Antiquitatis suscipio defendendam, præter fas & æquum nil admittam. Siquidem cum Malpighio, nullus volo vetera quocunq; modo sarciendo & resarcendo, retinenda esse, cum emendatione deteriora potius fiant, quam meliora; saltem quod multa Antiquis debeamus, & potiora etiam, si illorum extarent inventa, gratitudinis esse autumo, profiteri quibus profeceris Auctoris: Neque justum esse puto Recentiorum industriam debità defraudare laude, modò æquitatem suam faciãnt, & non cum priscorum injuria ista laus fuerit conjuncta: Phædri ad instar nos componamus, qui laudem propriæ diligentia cum Antiquitatis studio voluit communem ita livori occurrens;

*Quid indicare cogitur livor modo
licet dissimulet, pulcre tamen intelligo.*

*Quicquid putabit esse dignum memoria,
Æsopi dicet: si quid minus arriserit,
à me contendet fictum quovis pignore.*

*Quem volo refelli jam nunc responso meo.
Sive hoc ineptum sive laudandum est opus:
Invenit ille, nostra perfecit manus.*

Divisam habeant gloriam; scilicet Vetustas quam materiam reperit, hanc nostra polivit ætas; honesta illa est æmulatio, effato Poeta:

*Quoniam occupat alter ne primus foret,
Nec solus esset, studii quod superfuit.
Nec hæc invidia, verum est æmulatio.*

§. II. Primum autem quæ in genere contra Antiquitatem dici solent, hæc vice colligam; Deinceps in specie partes inventas quibus nostra ætas illam Priscorum longo intervallo post nos relinquarbitratur, traditurus si quando edendi in lucem opportunum offeret tempus. Quod demonstrationum rationem attinet, ut dixi

eam nontangam, (cum nec Veteres, nec recentiores hæc in re inter se consentiant) nisi illud alicubi ad illustrationem faciat. Ad istud autem, an Veterum Anatomica hoc fastigium fuerit assecuta, in quo nostro seculo est collocata, dijudicandum memorata duo summa capita sufficere autumo: Illis enim, & quæ communia sunt toti arti, sive ratione materiæ, sive ratione instrumentorum, & adminiculorum, sive ratione administrationum, & quæ cujusq; partis Animalium Anatomæ sunt propria, comprehenduntur: Quibus ipsis liquido quoque constabit, an secandi arterudem Vetustatem Nostri superarint.

§. III. Ratione igitur Subjecti, Vetustati vitio dari adverto, ac si non omne genus animalium cultro lustrare fuissent annisi. Atque istud crimen diluere poterant, quæ supra attulimus, ubi Extispices plurima animalium genera rimatos, probatum dedimus, Verùm illustriora addam argumenta, quibus evincam nullos hoc latere posse, nisi quos ipsi Vetustissimorum Anatomicorum libri latent, & qui in limine, aut in indicibus hærentes, penetralia & adyta Scriptorum consulere susque deque habent, quosque solidum Antiquitatis studium minus delectat. Galenus pluribus in locis, si quando Emiarum copia non adsit, aliorum animalium anatomen commendat e.g. II. Ad: An: non procul ab init: Prestiterit sic instructum esse ut si quando simiæ copia non datur, aliorum animalium corpora queas incidere. Quin non minus ab ipso, ac hodie sub titulo Zootomiarum fieri videmus, editos de variorum animalium sectionibus, plenos libros, scripta testantur e.g. 3. Ad. An: hæc allegat: in commentariis anatomicis, quos in singulorum animalium confectionibus feci, scriptum &c. declarant etiam improbum laborem Galeni, quæ 6. de pl. Hipp. & P. extant. Quæ igitur sunt, inquit, & quot animalium genera, in quibus dextrum non esse sinum cordis affirmem, quum numero ea persequi nequeam, commune in ipsis caput inveni, dissectis multis varii generis animalibus. Autorem hæc in re secutus Aristotelem qui immenso studio, de singulis animalium generibus Anatomicas observationes collegit, quarum fidem nullibi non in operibus suis, de historia, partibus, & generatione animalium advocat in subsidium. Atque ante Aristotelem idem factitasse Democritum, satis superque constat. Plin: 28. H. N. 8. Chamaleontem Democrito peculiarari volumine dignum existimatum, & per singula membra dissectum tradit.

§. IV. Re-

8

§. IV. Regetes, Galenus tamen negat minimorum anatomien-
 tanti esse, ideoque à se neglectam tradit. 6. pl. Hipp. & P. Culices igitur
 & muscas & lumbricos, & apes & formicas nec dissecui, nec disse-
 care aggrederer. Quum enim in grandibus animalibus multos dis-
 sectorum errores inveniam, ratio est scilicet in minoribus magis eos aber-
 rasse: his gemina sunt, quæ 6. Ad: An: occurrunt. Formicis igitur,
 inquit, culices, pulices, aliisque id genus minuta animalcula nequa-
 quam dissecare unquam sum aggressus. Quibus antequam aliquid
 reponam, necessarium æstimo de scopo Anatomicae nonnulla in me-
 dium proferre, præter C. VIII. §. I. Exerc. de Origin. Anat. à nobis
 tradita; eoque ipso non solum præsentibus, sed & sequentibus dubiis
 lux affundetur. Cum varii Anatomicae sint usus, facile princeps is
 est, quem Physicæ animalium historiæ subministrat. Alter ab hoc
 erit quem arti Medicæ, ejusque parti non ignobili Chirurgiæ potissi-
 mum exhibet. Utrumque, Galenus 2. Ad: An: declarat pluribus & fe-
 rè toto: it. L: 17. de U: P: ubi etiam alium istis adjungit, qui Elencho
 Sophistarum inservit. Ex his verò locis insimul liquido demonstrari
 potest, Galenum plus dedisse usui, quem Anatomica Medicæ rei
 præstat; quippe cum Medicum ageret, hujusque artis cultores ad-
 prime satageret erudire, inde adeo in his, aliisque plerisque locis, ut
 plurimum illa Anatomica, quæ in A. M. & Chirurgicam aliquid com-
 modi conferunt, studio impensè commendat. Id quod præter citata
 U: 1. Ad: An: L. confirmat. Hoc cum alii Anatomicae Professores
 non facerent, Galenus id ægrè ferre atque ostendere, quod minus
 suo satisfacerent officio, quippe cum Artis Medicæ ergo Anatomicis
 exercerent juventutem; Ipseque contra eos, potissimum ob oculos
 ponere, quæ Chirurgicam maximè juvarent. Totam rem addisces ex
 4. Ad: An: init: In præsentis commentario, inquit, duo mihi peragenda
 propono; primum, ut singulas accuratè partes contempleris --- al-
 terum ad Medicinæ Artis finem pertinet. Quoniam hujus ætatis
 Medicos video, qui quidem consecutioni operam dedisse putantur, uti-
 liore illarum parte neglecta, eam, quæ cavillatoria magis est, exer-
 cere: conatus sum hoc ipsam primum juvenibus ostendere; deinde ad
 meliorem ipsos adhortari. Atque id initio secundi, tertiique libri à me
 factitatum est, ubi sermonis caput curationes propè universas conti-
 nebat, quæ manibus quotidie administramus, tum in artibus, tum
 per

per totius corporis summa, que musculos, & in his vasa, nervosq;
comprehendunt. & paulo post: At quia ut video, juvenes quotidie ma-
jorem industriam in pejore confectionis parte collocant, utiliore pro-
pè omnes respuunt, statui &c. Atq; hoc consilio Galenus peculiare
tractatus de hujuscemodi magis scripsit, quam de visceribus. Etenim,
uti illis prioribus subjecta loquuntur: tela aculeosq; ex his, non ex je-
cinore, vel corde, vel pulmone excindimus; Item fistulas, sinus,
abscessus, suppurata, & putrifera vitia in his manu medicamur. H. I.

§. V. Cujus asserti vim, cum pleriq; non perspicerent, id Ga-
lenum egisse persuasi fuerunt, qui *Anatomicam*, peculiarem *utilem*,
que & *Medica* audiret, eamq; à *Philosophica* inutili scil. *distinctam*
conderet. Quod sanè nunquam Galeno in mentem venit, quippe
cum unam *Anatomicam* crediderit, cujus diversus licet usus, usus ta-
men utrobique, sive ad *Physicam*, sive ad *Medicam* rem quidpiam
conferret. Neq; enim simpliciter *utilem* alteram, sed *Medicinæ*
Studio quandam *utiliorem* asserit, non *Anatomicam*, sed *anato-*
men, non *artem*, sed *artis operationem*. Uti *Lib. de Venarum dissect.*
quædam alicui scitu necessaria dicit, quæ tamen simpliciter talia non
esse fatetur lubens. Igitur *Medicum*, inquit, *neesse est*, quicumq; *cu-*
rationem circa *collum*, manu facturus sit, *varietatem* nosse *venarum*
que collo sunt commista; tum *verò omnes quatuor venarum propagi-*
nes ad unguem exploratas, & *cognitas habere*. De iisdem tamen
paulò post, subdit. *Nec verò necessariam arbitror, nec Medicis, neq;*
iis, qui primum introducuntur, nec multò etiam magis nobis optime
Antisthenes, philosophis, exactissimam habere, hujusmodi rerum co-
gnitionem. Par conditio sectionum, ut aliis aliæ sint *utiliores*, quæ
tamen simpliciter seu *primariò* non sint *utiles*: tantum abest ut sibi
solis hunc honorem vindicare possent. *Revera autem utilem Ga-*
lenum habuisse Anato-men, quæ *Physicæ* contemplationis ergo susci-
pitur, præter jam memorata, alia quoq; svadent e. g: *L: 1. de Sem.*
c. 1. & L: 2. 1. Principium disputationis de semine, & generatione ex
eo, ponit illa quæ evidenter circa dissectiones apparent. & *2. de Pl.*
Hipp: & Pl: de animæ principatu an sit in corde: Unde itaq; querit,
id ostenditur? respondet: Ex quo alio, quam ex confectionibus? Si
enim hoc omnibus particulis vim sentiendi simul & movendi trans-
mittit, neesse est omninò vas aliquod ex eo administranda illa omninò
prodiisse;

prodiisse; Quapropter ex demonstrandi via ac ratione innotuit, & utilius animantibus dissectis conspici, quæ & quot corporum genera ex corde prodeuntia, aliis animantis particulis distribuantur, &c. Qui illustrium Physicarum quæstionum ergo consulisset sectiones, si illas inutiles deputasset? Qui principium Demonstrationum statuisset, si prorsus nil conferre voluisset unquam? Quin si intentius oculos animi intendimus in illa, quibus *libros de U. P.* finit, perspicemus facile Anatomicam ex sententia Galeni, majorem usum præstare humano generi Physicæ, quam Medicæ inserviendo. Nam si quis inquit; nulli sectæ addictus, sed liberâ sententiâ, rerum considerationem inierit, in tantâ carniû ac succorum colluvie, tantam mentem habitare conspiciat, ut: & ejusvis animalis instructionem, (omnia enim declarant opificis sapientiam) mentis, quæ homini inest excellentiam intelliget, tum opus de Partium utilitate, quod prius sibi exiguum esse videbatur, perfectissime Theologiæ verum principium constituet: quæ Theologia multò est major atq; præstantior tota Medicinâ; Non igitur soli Medico opus de U. P. est utile, sed multo certe magis Medico Philosopho, qui totius naturæ scientiam studeat sibi comparare, eumq; oportet iis sacris initiari. H. I. Hocque volunt verba, quæ paulo post seqq. Unum igitur ex hoc opere ac maximum hoc vobis accedit commodum, non tanquam Medicis, sed (quod eo est præstantius) tanquam scire aliquid cupientibus de vi ipsius Opificis &c. Adèò Anatomica, suppeditando Physicæ indicia, non perdit titulum utilis, ut augustiorem etiam nanciscatur.

§. VI. Ex quibus liquet, Galeno id vitio verti non posse, si iis non fuerit immoratus, ex quorum incisione nullus in Chirurgicam, aut Medicam Artem redundaret usus. Isto imprimis tempore, ubi Medicinæ cultores instruere sat habuit. Quos sane culicum, pulicumve anatome non docuisset, qui luxata ossa feliciter loco reponerent. Præterquam quod horum anatomen erroribus facile patere dixerat. *L. cit. §. IV.* quos nec majorum sectio omnes declinare nosset. Prorsus tamen non omnium minorum contemplationem, anatomicam à se rejectam, imprimis ubi Philosophum egit, ipse supra cit. l. 6. *Ad. An.* ostendit. Quæ autem repunt, subdens, quemadmodum mustelæ & mures, tum quæ convolutim serpunt, uti serpens, ad hæc multa avium genera & piscium subinde incidi, ut firmiter persuasum

8
suasum haberem unum esse, qui hac uniat opificem. Quia diffusum Galeni studium omnia animalium genera secandi 4. de U. P. eloquitur, ubi se excusans, quod non, uti Aristotelem ingeniosè fecerat, fatetur; de ventriculo singularum specierum animalium tradiderit: Quod si vita, inquit brevis pulcherrimorum congestionem non moraretur, fortassis aliquando quod in eâ speculatione desideratur, exqueremur: Nunc verò satis habemus, si solius hominis possimus constructionem ad unguem exponere: Imo ipse minimorum sectionem summæ admirationis plenam deprædicat: L: 17. d. U. P. Neq; enim existimes in solo homine tantam inesse artem --- Sed quodcumq; aliud animal dissectare velis parem in eo artem opificis & sapientiam reperies. Et quanto minus ipsum fuerit, tantò majorem tibi admirationem excitabit, quod declarant opifices, cum in corporibus parvis aliquid insculpunt: cujus generis est, quod nuper quidam in anulo quatuor equis invecum sculpsit. Cujus Historiam ibi prolixius recenset, finiens: quanquam horum quicquam opus crure pulicis præstantius non habebat. &c.

§. VII. Verum etiã daremus (utut Contrarium evicimus) Galenum curam minorum abjecisse, numquid propterea uno ordine omnes habendi essent Veteres? Totam Antiquitatem ream agunt, qui clamant Veteres istud effugisse; Veteres hoc neglexisse: totam Antiquitatem necesse est, in sui Patrocinium adducamus. Atq; Aristoteles se sponte silit, causam peroraturus Priscorum: injuriæ deputans, quod arguatur minimorum non inspexisse intestina. Quis, inquit, Democritum refutassem, si hæc non consuluissem minus licet extantia? Qui asserere fuisse ausus solis sanguineis, nulli ex sanguine adesse viscus? (3. P. A. 4. Itaq; Democritus non recte de his tractasse videtur, siquidem incerta hæc esse putavit, præ exiguitate exanguium animalium) Næve me glaucoma tibi objicere autumes, lege sis. 4. H: A: 7. Ubi de internis insectorum partibus: Intra sinum ab ore intestinum pluribus directum ac simplex, usq; ad exitum fertur. Paucis id est replicatum. Viscus nullum in iis, nullum pingue, sicut neq; in cæteris, quæ sanguine carent. Ventrem etiam nonnulla habere advertimus, à quò reliquum intestinum, vel simplex, vel replicatum proficiscitur ut locusta Cicada inter hæc &c: Quis araneorum filis sedem propriam assignare potis fuissem? Atq; hoc
9. H. A. 39.

9

9. H. A. 39. à me præstitum agnosces. Aranei statim cum editi sunt, fila mittunt, non intrinsecus, tanquam excrementum, ut Democritus ait, sed de suo corpore, veluti corticem, aut more eorum, quæ suos villos jaculantur, ut hystrices.) Quæ dentes in quodam apum, formicarum, aut muscarum deprehensibilem genere, cujus rei fidem feci 4. P. A. 5. & 6. Quæ uteri locum definitivissimè etiam in insectis, exilitatem eorum meâ industriâ in lucem protrahente: (1. G. A. 16. feminis ipsorum pars matrici analogâ fissa est, juxta intestinum uti cæteris, in quâ fetus generantur: Patet hoc in locustis & reliquis, quorum magnitudo aliqua sit, & natura apta ad congressum; maxima enim pars insectorum nimis exigua est, Et c. 3. Insectis etiam quibus aliquid magnitudinis est, bifide sunt (matrices) minoribus incerta, propter exiguitatem corporis.) Quæ commendassem etiam vilissimorum animalium contemplationem, cum & in his, Heracliti verba mea faciens, Deos agnoscam præsentem. Adcas 1. P. A. 5. & plenius hæc addisces. Ita quidem Aristoteles sibi ipsi Mercurius. Et si locus est suspitioni, forte quod Aristoteles nimis curiositatis damnaretur, minimorum animalculorum indagini Philosophiæ studia submittere, Galenus id amovere à se convitii est molitus. Perstringit enim Hyperaspistes Lucianus Peripateticos eo nomine in Auctione Vitarum, ubi de argutiis horum Mercurium ad Mercatorem introducit. Discas ab eo (Peripatetico) quam diu vivat culex --- denique qualem animam habeant ostrea: cum quibus conferri merentur, quæ Athenæus 8. Deipnosophist. 8. annotat.

§. VIII. Fuisse itaque & olim, qui non solum minimorum contemplatione delectati, sed & qui illorum partes anatomico more distinguere fuerint conati, probatum dedimus. Ne verò animum inducas, singulare, & nostro seculo proprium, immanes belluas (quod Regum, Electorum, Principumve munificentia, istius Alexandri M. æmulâ, aliis atque aliis in locis ab industriis nostræ artis Cultoribus factum novimus) anatomia subicere, scias & Galeni ætate, & ante eum Aristotelis Elephantos huic studio materiam præbuisse. Neque enim aliter Aristoteles 2. H. A. 17. prolixè partes interiores enarratas, & cum istis Suum, aliorumve animalium collatas, posteritati transmisisset. Galenus verò disertè istius temporis historiam de Elephanto inciso reliquit 7. Ad: An: Nuper Elephanto, inquit maximo, Romæ

B

jugu-

jugulato pleriq; Medici ad istius dissectionem convenerant, discendi gratia, duosne cor haberet vertices, an unum: & ventriculosne duos, an tres. H. I. Sic & Cameli anatomen ab Aristotele institutam illa volunt, quæ 3. P. A. 14. & L. 4, 2. de intestinis hujus partibus exacte memoriæ prodidit. De Diocle refert *Auctor Hist. Philos. ap. Gal:* quod mulas sæpius incidit, quæ sterilitatem ipsarum indagaret. *Diocles, cum Empedocle sensit, se plerumq; in dissectionibus vidisse scribens mularum vulvas obliq; sitas &c:* Leones quoq; à Galeno sectos, non obscure indicat locus 6, *Ad. An.* infra à nobis allegandus.

§. IX. In isto vero *Vetustatem minus perspicacem* quis reprehenderet; quod cum promiscuè omnium animalium anatomen instituerit, non tamen de eo sollicita fuerit, *qui perfectiorum animalium partes, penitus ex horum structura addisceret;* in quo nostræ ætatis prudentia enituit adprime, quæ non una perfectissimorum animalium membra ratione compagis potissimum, ex illâ, quæ in vilioribus occurrit constitutione, dilucidè explicavit. Hæc methodo pulmones ex vesiculis compactos, ad instar eorum, qui in ranis sunt & testudinibus, legimus demonstratos. Sic avium cerebrum, glandulas humano adstruxit: Et aliis piscium cutanei ductus, in homine sudoris fontes detexerunt. Ovarium in gallinis nullum reliquum fecit viviparum. Et videtur ratio subesse, *cur in doctrinâ de partibus animalium evidentia demonstrationis ab ejusmodi sit petenda;* scilicet: uti in rudioribus operibus fieri amat, ita in his manifesto artificium naturæ deprehendi potest, magis quam in perfectissimis, ubi artem occultare artis putavit opifex rerum natura. Fatendum sane non contemnendam hoc ipso arti nostræ obtigisse accessionem, cujus adminiculo *Malpighius*, magnâ ingenii, nec minori judicii laude, plurimorum viscerum structuram oculis omnium spectandam exhibuit. Neq; *Stenonis* conatûs in hujusmodi unquam successus defuit, quæ non auxisset rem Anatomicam, hanc viam quoties ingressus: Ut aliorum præclara de nostra arte merita, hæc vice, non recenseam. Sed inique agunt, qui Antiquitatem non lectam, nedum intellectam, damnant; Quis adeò hospes est in scriptis Aristotelis, seu Historiam seu Partes, seu Generationem animalium modo adierit, qui non adverterit omne studium Philosophi illuc tendere,
ut ex

ut ex comparatione cum inferioribus perfectissimorum doctrina evidentior & illustrior evadat. Ejus rei Galenus testimonium perhibet, quando *1. de sem. 3. fin.* ostendit, quomodo Philosophus ex insectorum generatione demonstraverit, quod ex recremento menstruo, & motivo ex viro principio, constituatur foetus. *Quapropter neq; excernere aliqua animalia genituram, inquit, (Aristoteles) sed distribuere tantum in feminam animale caliditatem, esseq; talia quaedam, ex insectis, ita, ut femina quidem articulum in marem demittat, atq; ubi per multum tempus commoretur, in complexu corpus quidem accipiat nullum, solam verò facultatem formantem, & formam ipsam specificantem.* H. I. Ejusdem instituti, parcius licet, vestigia in monumentis Galeni passim occurrunt, ut *Democritum & Erasistratum* non memorem, quos procul dubio, sive figuras sive dispositiones vaforum, quibus pleraq; naturæ in animalibus opera definiverunt, istis illustrandi cura tenuit. Quod non minus inferius dicenda commonstrabunt, quando Veterum in Vasis aut Visceribus anatomicam *ἀνεπίβου* cum illa Recentiorum sumus commissuri.

§. X, Si tamen Veteres non tantum insumpserunt operæ, in minutis his declarandis, ratio subfuit. Ipsorum enim, uti ex Aristotele imprimis perspicies, illa fuit Hypothesis, quod perfectissimum sit imperfectioris mensura. Inde, cum inter animata corpora tale sit hominis: quem *Philosophus 9. H. A. 1. absolutissimam naturam natum*, dicit: *Istud ipsum præ aliis in oculis gerentes, omnia pertractarunt, quantum ab eo reliqua abscederent, propius, longius, annotantes.* Minus accuratè, quam hodie fit, si illa quæ extant tantum in consilium adhibemus, accuratius autem forte in libris, qui intercederunt anatomicis, quos Zoötomias vulgus insignit. Accedit, quod à notissimis ignotiora lucem habeant accipere: hominis autem quæ sunt nobis notissima esse convenit. Utrumq; complectitur *Philosophus 2. P. A. 10.* ubi plantas non tam multiformi figura instructas adserit subdens: *Quæ autem una cum vita sensu sunt prædita etiam, hæc speciem multiformiorem recipiunt: atq; inter ea aliis alia magis, & eo amplius, quod non solum vivendi, sed etiam bene vivendi rationem natura eorum obtinuit: quale hominum genus est, quippe quod ut unum ex omnibus animalibus nobis cognitis, divini-*

tatis particeps sit aut omnium maximè. Itaq; cum ob eam rem, cum etiam, quod exteriorum partium, ejus forma notissima est, primum de homine differendum censemus. H. I. Illustria sunt quoq; quæ i. H. A. 6. f. occurrunt verba. Primum hominis partes sunt tractanda. Uti enim numismata ad illud, quod cuius notissimum est, examinant, ita etiam in aliis rebus contingit fieri. Homo verò inter animalia, notissimus est nobis ex necessitate. Quibus consentit Theophrastus i. Hist. Pl. 3. Sed quoniam nobis ignota persequamur oportet, & quæ sunt nota grandiora, patientioraq; sensui offeruntur, hinc procul dubio de his primum dicendum est. Reliqua enim ad hæc ipsa redigere habebimus, quatenus & quomodo de similitudine participant. H. I. Hæc autem viâ, in quod moderni parum abest quin impeggerint, illud erroris evitârunt, ut demonstrationes cum illustrationibus non confunderent perperam: Contra quam à quibusdam fieri videmus, qui sicubi in imperfectioribus aliquid forte fortuna invenerunt, illud ita adaptant, de animalium perfectissimorum partibus doctrinæ, ac si vis quædam cogens, non mera similitudo, argumento inesset, necessarioq; ita membra perfectissimorum constituta esse volunt, quod in minoribus hæc facie oculis pateant. Quò genere probandi nescio an ullum, futilius inveniri queat. Præclara sunt, quæ Exc: C: Barth: Th. F. alicubi tradit, quantâ circumspectionè opus sit, si quis ritè analogiâ partes in eodem animalium genere conciliare velit: Majori opus est, puto, si quis in diverso genere illud operis aggredditur. Galenus vix temeritatis notam effugit, quando tanta cum confidentia simiam, vel perfectissimi animalis, normam exhibens, ex ea partes hominis definire ausus est. Neque omnes veritatis numeros explet, quod 6 Ad An. ab ipso dicitur axioma. Ubi prius, inquit, ex spectatis tibi naturæ operibus fueris eruditus, artificium ipsius in aliis quoq; omnibus idem esse censeo: quod paulò ante in exemplo proposuerat, h. m. si itaq; animans, nonnunquam videas, sive ex India, vel etiam Libya sive Scythia profectum, quod antea non conspexeris, alimentum ligneum, spinosumq; assumere magnum huic & asperum noveris constructum esse ventriculum &c. Conjecturæ locum præbent ejusmodi, demonstrationis robur exerunt minimè, sunt enim e. g. animalia, quæ licet lignea in alimentum assumant, non tamen magno propterea & insigniter aspero sunt ventriculo;

culo; uti cuniculos, equos &c. Virgultis, fruticetis, aut corticibus aliquando delectari novimus, quorum tamen Ventriculi illâ specie destituuntur. Et iniquus est Galenus in Aristotelem, quando ipsum *x. de Sem. 9.* carpit, ac si similitudinis, quæ plantas intercedit & animalia, in generationis opere fuisset oblitus, eò quod non omnia plantarum ad animalia transtulisset. *Quapropter justâ accusatione Aristotelem accusaverim, non solum, quod neglexerit, quæ negligere ipsum non conveniebat, sed & quod sui ipsius dogmatum oblitus est, & naturæ opera differenter exponit circa plantas & circa animalia. Videns itaq; in omnibus plantis, semen non minus materiale, quam opifex seu efficiens principium in se habere, in animalibus alterum aufert. Quanquam hoc solum sufficiebat viro circa naturam admirando genitura utilitatem ostendere. Si enim natura seminis non aliis viribus producit plantam, aliis animal, ea quæ in plantis vides ad animalia transfer, eandem enim proportionem in utrisq; re-* pedies H. I. Verum Aristoteles minime sui oblitus est, analogiam plantarum cum animalibus in hoc negotio satis explicans, uti ex *Iolo 2. G: A: 4* est addiscere. Idemq; egregio in *h. l. commentario Philoponus* exponit. Ast quarum Galenus fuit immemor, legum Analyticarum maxime memor fuit Aristoteles, quando rectè distinxit quæ animalibus sunt propria, ab his, quæ ipsis cum plantis communia; Et potest ex *2. P. A. 10. init.* colligi ratio, cur seorsim de plantis agendum statuerit philosophus. In proclivi foret hoc deducere, si nostrum idem vellet institutum. Eadem operâ illam recentiorum industriam commendarem, quæ *Malpighio* potissimum Duce illo est occupata, ut exactam similitudinem partium in plantis & animalibus delineet. Quod genus studii non solum jucunditate, sed & rerum usu est memorabile, quippe insignem harmoniam inferiorum superiorumq; corporum exhibens, quam pulchrè in laudem Supremi omnium Moderatoris cuncta consentiant, egregiè exprimit. Saltem optandum foret, ut intra analogiæ limites quidam sua continerent effata, neve Analyticam in vindictam sollicitarent, ea apodicticè plantis asserendo, quæ per similitudinem inesse ægrè probaverint. Istum itaq; in modum, uti Arist. in iis, quæ sunt communia minutis animalium cum perfectioribus, querenda analogia; non in iis quæ perfectioribus sunt propria. Quod verò

B 3

in mi.



in minoribus, tanquam rudioribus artificium naturæ dicebatur patere magis; illud neququam universale exempla, quæ inferius circa Microscopiorum usum adducenda, clarum reddent, cum vel sexcentis, in his animalculis, obscuritate suâ negligendis perpetim, illa Perfectiorum animalium foenerent lucem.

CAPUT II.

I.

Veteres humana corpora secuisse dubium redditur. II. Aristotelem cognovisse internas partes hominis; III. Multò magis Erasistratum, & Herophilum, ex Celso, & Tertulliano. IV. Aliorum, qui homines secuerunt, commemoratio. V. Galeni & antecedentium Dd. tempore anatomen humani corporis fuisse rariorem & cur? VI. quomodo hunc defectum pensarint tamen: (1) Anatome κατὰ ἑπιπέδον. VII. (2) inspectione partium in vivis, præsertim in Athletis. VIII. (3) electione animalium, quæ homini quam Similima: horum genera. IX. An Galenus corpus humanum cultro divisit. Aa. qui dubitant. X. XI. XII. XIII. Argumenta pro Galeno eorundemq; solutiones. XIII. Conjectura de causis cur Galenus abstinuerit ab anatome humani corporis. Ex eo quod Galenus hæc in re defecit, non omni antiquitati posse notam inuri.

§. I.

Illud potro in dubium vocatur, an Veteres humana corpora cultro fuerint rimati anatomico? Ægyptiis quidem in usu fuisse, & gentibus quæ ab αἰθιοπιοθυσίας i. e. humanis victimis non abhorruere, supra nobis citata testantur monumenta. Ex Barbaris quoq; Scythæ, Celtæ, Thraces leguntur hostium craniis, pellibus, carnibus &c. usi, quod citra sectionem qualemcunqve impetrare neququam poterant. Ut alios non adducam Sextus Empiricus 3. Pyrrh. Hypoth. de carnibus locuples satis testis erit. Nec non humanas carnes edere, apud nos quidem est illicitum at sunt quedam nationes barbara in quibus omnes ad unum hoc pro re indifferenti habent. Et quid Barbaros commemorare oportet Tydeus ipse cerebrum hostis edisse dicitur. Lacedæmonios quoque refert Plinius II. H. N. 37. Aristomeni Messenio tertio capto pectus dissecuisse causa videndi, hirsutumq;

scutum cor repertum est. Verum vulgo ita cuius in partium cognitionem factam humanum corpus secandi potestatem, his neutiquam obtinebis. Democriti tempore apud Græcos nondum locum invenisse, supra ex *Hip. adducta Epistola 17.* svadet, quæ Abderiten, quod tum in brutis odii vitandi ergo faciebat, insanix sedem in homine inquirendam dicitasse perhibet. Raram quoque & rudem hujus atque Hippocratis ævo humanorum Corporum fuisse anatomen, ejus suspicionem suggerit, quod humani Corporis partes *Coo* non ita perspectas alia atque alia indicent. Exemplò sit, quem etiam *Hoffman: in 4 de II P. Gal. n. 208.* notavit, locus *6. Epid. 8.* ubi scribit, quendam hepar doluisse ob complicatum lobum, qui ab ipso concussus sanitati fuit restitutus. Huic fortè suppar est, qui *L. de Superfoet. init.* extat, utero humano attribuens cornua.

§. II, Neutiquam tamen omnem Antiquitatem ista concernent, licet id temporis in Græcia nondum talis invaluisset consuetudo. Aristoteli interiores hominis partes beneficio anatomicae cognitæ, pluribus evidens reddi potest argumentis. Accuratissimè enim illase. g. ventriculum, alvum, intestina, omentum &c. *i. H. A. 16.* describit, ab aliis distinguens, cum aliis combinans. Pariter cordis conum in sinistrum vergere, esseque *σπγγύλον*, quod *Plinius* eleganter per turbinatum reddit; non minus ac hepar bubulo simile *c. 17.* exponit, & finiens librum: *Partes, inquit, hominis tum interiores tum exteriores, has, talesq; & ad hunc modum haberi perspectum est. L. 2, 9. de Cebis* differens dicit, quod hujusmodi genera animalium omnes intestinas partes ex arte divisas homini similes habeant. *L. 7, 8.* Situm Embryonis in utero matris depingit vivis coloribus, ut *ἀνθρώπου* cognitum esse facile intelligas, cum differre hac in re à se invicem animantia erat demonstraturus. *Figuram in utero quod attinet, quadrupeda omnia extensa: apeda obliqua, uti piscis. Bipeda in se curvata conglobatavè, uti avis. Et homo est conglobatus, & nares quidem inter genua, oculos verò genubus imminentes, aures verò exertas habet.* Qualis accuratio apud Hippocratem neque in *L. de natura pueri*, neque in aliis de superfatatione aut fetus in utero mortui exsectione, occurrit.

§. III. Quod si alios respiciamus ab Aristotele inclytos Anatomicos,

tomicos, his v. g. Erasistrato & Herophilo, vel vivos homines se-
 & os monumentis rerum est traditum. Cels. in prefat. L. 1. Lon-
 gedè optimè fecisse Herophilum & Erasistratum, qui nocentes homines
 à Regibus ex carcere acceptos vivos inciderint, considerarintq̄,
 etiamnum spiritu remanente, ea, quæ natura ante clausisset, eorumq̄
 posituram, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mol-
 litiem, levorem, confractum: processus deinde singularum & recessus,
 siue quid inseritur alteri siue quid partem alterius in se recipit:
 Et in subsequentibus excusationem facinoris adjicit. Neq̄ esse cru-
 dele, sicut pleriq̄ proponunt, hominum nocentium, & horum quoq̄
 paucorum, supplicii remedia populis innocentibus seculorum omnium
 queri. De Herophilo fidem facit etiam Tertullianus L. de anima
 c. 10: Herophilus ille Medicus aut lanus, qui sexcentos execut, ut
 naturam scrutaretur, qui hominem odit ut nosset, nescio an omnia
 interna ejus liquido explerit, ipsa morte mutante quæ vixerant, &
 morte non simplici, sed ipsa inter artificia exsectionis errante. Ubi
 Commentator Priorius notat Galenum 8. de Plac. H. & Pl. & 2. Ad.
 An. idem non solum de Erasistrato & Herophilo sed & de Diocle
 retulisse: verum in citatis locis nihil prorsus hæc de re extat.

§ IV. Cum itaque vivos homines incidere non fuerint subve-
 riti, à mortuis quod abstinuerint, non sit verosimile. Herophilum
 tanquam in exsecandis hominibus peritissimum Galenus nusquam,
 non in partes suas trahit, quoties de membris intimioribus huma-
 ni corporis suboritur controversia. Exemplum ejus rei superius
 hepatis consideratio obtulit. Idem disertis verbis propria Galeni
 confessio confirmat L. de Uteri Dissct. c. 8. Non tamen dubito, in-
 quit, quin Herophilus ipsa sepe in mulieribus repererit. Erat enim
 circa alias partes abundè eruditus, & ea quæ per dissectionem co-
 gnoscuntur exactissimè tenebat, & plurimam ejus rei cognitionem
 non ut pleriq̄ in brutis animantibus, sed in ipsis hominibus adeptus
 erat. Et passim aliàs cadavera humana à Medicis dissecta cognosci-
 mus, vel ex 3. Ad. An. Gal. idem patet. Qui verò pueros mortuos
 expositos complures frequenter incidunt, persuasum habent, corpora
 hominum simiarumq̄, persimili structurâ constare. Idem liquebit, si
 Celsi Prefationem consulamus. Hic vivorum incidere corpora cru-
 dele & supervacuum æstimans, mortuorum verò corpora scribit di-
 scendentibus

scientibus necessarium. Nam positum & ordinem nosse debent, & de
hominibus ipsi esse sermonem, his proxima ostendunt: Quæ cada-
vera melius, inquit, quam vivus, (quod contra Erasistrati & Hero-
phili est institutum) & vulneratus (quod Empiricis eorumque Ana-
tomæ κατὰ πρόπῳσι est oppositum) homo representant. Et Ru-
fus Ephesus Trajani Imperatoris Medicus argumenta nostræ Senten-
tix habet περὶ ὀνομασίας τῶν τῶ ἀνθρώπων μορίων init. Audiens ve-
rò & respiciens puerum commemorabis evidentia. Primò quomodo
vocanda intimiora, atq; dividendo animal quod homini maximè re-
spondet similitudine, te erudire tentabimus. Nihil enim impedit,
licet non per omnia sit simile, quo minus ortus cujusq; demonstres.
Olim verò generosius in hominum anatome ejusmodi discebant. Pau-
lo post: Evidentia igitur ὁ Puer cum subjacentibus ossibus isto modo
veniunt appellanda. Intestina verò ipsorum secandosimiam nomini-
bis insignire conabimur. Sed & aliis forte in locis aliud fuit moris,
ut in aliquibus liberius secandi homines concessa fuerit potestas.
Alexandriæ frequentatam fuisse hominum anatomen, præter jam
dicta, testimonium etiam ex Galeno suppetit, quando i. Ad. An. Ale-
xandriam adeundam suadet ob Osteologiam humanam, quæ ibi in
Sceletis exhiberetur. Soranus idem suo confirmat exemplo. Me-
dicus hic Imperatorum Trajani & Adriani, non solum Romæ sed
Alexandriæ imprimis vitam egerat, Suida teste. Ex hujus tractatu
περὶ μήτρας γυναικείας αἰδοίς græcè impresso Parisiis legere est, quan-
ta hic vir in humanis partibus distinguendis polluerit Experientia.
Tanta accuratione omnia de utero humano congeffit, ut vix alicui
recentiorum industriæ veritatisvè laude cedat. Ostendens præter
alia, quæ longum recensere foret, quod nec eadem figura uteri hu-
mani quæ brutorum; χῆμα δὲ μήτρας ἔχ' ὡς ὅτι τῶν ἀλόγων ζώων
ἐλκοειδές. Ἰατρικῆ δὲ σικύα περὶ ἀπλήσιον. &c. neq; eadem promi-
scuè partes, ubi Dioclem & alios refutat. Διοκλῆς δὲ καὶ κοτυληδόνας
καὶ πλεξάνας καὶ καρδίας λεγομένας εἶναι φησὶ ἐν τῇ στυχωρῆ ὑτέρῃ:
κατὰ ψεύδουσαι δειῆς ἀνατομῆς, ἐκ δὲ σκίονται γὰρ αἱ κοτυληδόνας καὶ
ἀφυσικός ἐστὶν ὁ περὶ αὐτῶν εἰσαγόμενος λόγος, ὡς ἐν τοῖς περὶ ζωο-
γονίας ὑπομνήμασιν διποδέδεικται.

C

S. V. Lar-

V. Largiendum tamen humanorum corporum exsectionem hæud tam crebro exercuisse cultros Anatomicorum, Galeni & quæ hunc proximè antecesserunt temporibus, quam quidem olim factum, Rufi indicio. Pergamenus noster præcipitem occasionem fuisse secandi cadaver humanum sua ætate vel illo manifestum reliquit, quod tanta cum sollicitudine serio inculcet discipulis, qui prius in Simia subinde exercitentur, ut si humani corporis consecandi quandoque copiam nacti fuerint, promptè singulas partes detegant. vid. 3. Ad. An. c. g. Quamobrem illos, qui hostis Germani in bello mortui corpus inciderant, hujus consilii quasi immemores, redarguit, quod nihil amplius præter viscerum situm addiscere potuerint. Proclivius dicens viro laboris cupido præexercitatoq; in Anatomis antea conspecta quedam in humano cadavere subito condiscere, quam alteri non exercitato manifesta multo otio ad amissim invenire. Eandem Historiam 3. de comp. Med. per gen. refert, itidem negligentiam succensens: Quod si in exercitatus omnino facias, nihil inde promovebis. Quemadmodum nec Medici bello Germanico, ubi barbarorum corporum insectionis potestatem habebant, amplius quippiam didicerunt iis, quæ coqui intelligunt. Congruunt his quæ L. 1. Ad. An. non procul ab init. traduntur. Quod si lectione sola citra simiarum ossium speculationis usum ac consuetudinem nitaris, hæud poteris ita ad amissim hominis cadaver repente visum cognoscere nec recordari. Scilicet diu hisce immorari minimè licuit, sive propter superstitionem & invidiam, uti superius dicta declarant; sive ob insectionis metum. de quo Alex. Aphrod. 2. Probl. 50. Quam verò aditus per oculos pateat contagioni, constat etiam ex iis qui mortua hominum corpora contueri recusant, ne radii sui conspectus aliquam sibi lucem, Pestemq; referant. Et coniecere est, quod honestiorum aut Civium corpora apud Romanos non patuerint Anatomæ, quippe cum nec Germanici, qui veneno interemptus credebatur, exta fuerint inspecta; tantum nudatum corpus contrectandum vulgi oculis permissum. Tacitus Autor est 2. Annal. 73. & L. 3, 12. Galenus quoque puerorum expositorum & hostium barbarorum solum meminisse habuit. Et Hostium quidem defunctorum corpora quod attinet, violare ferro Romanis non fuisse religioni, Judæorum funesta in castris Titi Vespasiani clades docet. Sed & Aristotelis ævo rariorem fuisse humani corporis anatomem primordium c. 16. L. 1. H. A. eloquetur.

§. VI. Pen-

§. VI. Pensavit autem hunc in Veteribus defectum alia ipso-
rum industria, siquidem omnibus occasionibus intenti id egerunt,
ut humanam fabricam adprime haberent per spectam. Neque enim
uno modo Anatomica Exercitia apud Priscam ætatem viguerunt.
Egregiè *Auctor Definit: Med: apud Galenum*, hoc nobis declarat,
quantum ipso-
rum studia variarint in hoc genere Scientiæ. *Anatome,*
i. e. dissectio, inquit, *est partium latentium contemplatio, quæ dissectio*
duplex est, altera ex instituto, altera casu. Ex instituto ea est,
quam docent Dogmatici, cognoscendarum partium occultarum gra-
tia, vel in vivis, vel in mortuis, & vel in totis vel in partibus. Ca-
su verò quæ evenit fortuito: ut ex magno aliquo illato vulnere, hæc
solà Empirici utuntur. H. I. Hæc posterior Anatomie peculiari
nomine dicebatur *κατὰ τὸ ἔμπερον*, fortuita item & vulneraria spe-
culatio, quæ illius vocabula esse dicit *Gal. 2. Ad. An. 3. de Comp. Med. per*
genera. Singulari autem cura illam affectabant, non cujusvis ani-
malis, sed hominis solum partes inspiciendo: Erat autem potissi-
mum munus, corporum vulneribus & ulceribus affectorum contem-
plationem inire. *Celsus l. c.* Empiricos introducens Erasistrati & He-
rophili Anatomem refutantes, quod vivorum hominum alvum atq;
precordia incidi, & salutis humanæ Præsidem Artem, non solum pe-
stem alicui, sed hanc etiam atrocissimam inferre, crudele esset. Si
quid tamen sit, subdunt, quod ad huc spirante homine conspectui sub-
jiciatur, id sæpe casum offerre curantibus. Interdum enim gladiato-
rem in arena, vel militem in acie, vel viatorem à latronibus exce-
ptum sic vulnerari, ut ejus interior aliqua pars, & in alio alia, ape-
riatur; atq; ita sedem, positum, ordinem, figuram similiq; cogno-
scere prudentem Medicum. Quam sententiam etiam suam facit ipse
Celsus vivorum Anatomem crudelitatis damnans. Sed & cætera,
inquit, quæ in vivis cognosci modo possunt, in ipsis curationibus vulne-
ratorum paulo tardius sed aliquanto mitius usus ipse monstrabit.
H. I. Hujus Anatomæ studiosissimum fuisse Galenum constat, licet
bene intellexerit ipsam sufficere minimè quippe cum 2. *Ad. An.* neget
cujusq; particule naturam ab ipsa accuratè doceri posse. Et 3. *de*
comp. Med. per genera: Empiricorum Anatomem secundum Periptoo
sin nugamentum esse maximum dicit, simile capris juncis acutis, pun-
ctis. Et inferius quod huic vulnerariæ Anatomæ deroget, infert: se.

quod nec aliquis per multa vulnera inspicere poterit, si ea excipias, quæ in bello contingunt, in quibus ipsis nemo est, qui hoc neglecto ut cito curet, contempletur, ubi vulneratis partibus nervi, ubi arteriæ venæq; subjacent. Sc. Ista tamen ipsi firmiter animo hæsit opinio, quod si modo præcesserit in aliis crebra secandi consuetudo, summam Anatomæ ab hac itidem expleri posse. Indicio est 1. Ad. Anat. Hoc pacto neq; decantata illa Anatome græcè κατὰ τὸ ἔμπεδον (quod casu accidat) dicta, quam nonnulli Medicorum magna celebritate profitentur spectatorum naturam edocere potest. Sc. Et L. 3. Non vulgaris operæ est, neq; quisquam in ipsa parum exercitatus repente potest assequi; etenim Medicorum in Anatomicis exercitatissimi, qui multâ diligentia corporis particulas inspexerint in multis errorem commisisse videntur. Atq; in sequentibus recenset, quomodo hæc occasione usus internas corporis humani partes contemplari queat. nam vulnera magna, inquit, & putrifera vitia in altum spectantia, particulas complures detexerunt, quæ prius exercitati similem habere structuram simiarum corporibus cognoverant --- quin & in ipsis curationibus, quas manu frequenter obimus, aliàs carnes putridas, aliàs ossa præcidentes, manifestam similitudinem præexercitati agnoscunt. Quæ omnia L. 1. suo exemplo probaverat. Nam multorum partes cute, nonnullorum etiam ipsa carne detecta fuerunt, cum fæda quadam lues carbunculorum in plerasq; Asia civitates vulgariter ingruisset. --- Qui igitur inter nos Satyrum (Præceptorem) particulas quasdam detectas incidentem conspexerunt, promptè eas cognoscebamus, accuratamq; artuum dignotionem moliebamur, imperantes agris ut motum aliquem ederent, qui à quonam procederet musculo nobis constabat --- unde nimirum ego didici vulnerum spectationem illis, qui jam antea non nihil eruditi sunt, præceptorum memoriam confirmare; alios autem, qui nunquam concisionem administrarunt, omnia ipsum docere non posse Conf. L. de dissect. Venar. ubi apertius hanc Historiam explanat. Quin & putrifera quadam vitia, ita aliquando extenuata ante omnia quæ juberant, detexerunt, ut nudæ conspicerentur venæ. Idq; per omnes continentes corporis partes videre tum maximè licuit, cum fæda quadam lues Carbunculorum in Asiam ingruisset Sc. Conf L. 3. de Compos. Med. per genera. Ad idem genus Anatomæ referenda corporum

porum suppliciiis defunctorum inspectio, nam & huic occasione non deerant Veteres. *Gal. 3. Ad. An.* Nam in eorum qui mortis erant damnati, aut feris expositi, corporibus, multi saepe quod ipsis liberet, celeriter conspexerunt, ad haec in Latronibus, qui in monte jacerent inhumati. *Conf. L. 1.* ubi à se Latronis cadaver inhumatum in monte perlustratum refert. Et ex *Philosopho* exemplum capimus, non omni carere usu supplicia intueri. Ipse negans, praeciso capite, esse ut quisquam loquatur, in hujus rei fidem adducit Barbaros, qui celeritate rotare capita noverunt; Sed fieri non potest, inquit, ut caput praecisa arteria, & sine motu pulmonis loquatur. Nec apud Barbaros, apud quos celeriter abscindunt capita, nunquam tale quid evenit. *3. P. A. 10.* Idem etiam embryorum abortu ejectorum viscera est rimatus. *Vid. graec. 3. P. A. 4. init.*

§, VII. His alias curas addiderunt, quibus sarcirent, quod consuetudo denegabat. Quo pertinet, quod crebro viventium corpora intente sint speculati, aliis atq̄ aliis industriae adhibitis adminiculis: Et ad hoc ipsum adhortati sunt discipulos. idq̄ve non solum *ex l. c. Gal. 1. Ad. An.* ubi eos, quibus id consuetum est, percallere dicit ægro injungere, ut particulam convenienter moveat; Sed & *ex L. 3.* addiscimus; de venarum cognitione sollicitus: *Has sanè omnes venas,* inquit *in gracilibus multis, ac copioso sanguine, venisq̄ amplioribus praeditis palam vel ante confectionem est cernere. Verùm ambientem aërem calidum, vel etiam totum hominem esse oportet. Manu autem immissa interceptanda est, quacumq̄ in parte venas repletas manifesto videre libeat. Quod te crebrius in multis factitare velim.* Et in sequentibus: *Quae igitur de cubiti ac manus summae venis super retuli, omnia citra confectionem plerisq̄ in hominibus obvium est cognoscere: quemadmodum etiam quod ea quae postquam axilla vena in ramos ante cubiti articulum scissa fuerit, ad flexum pervenit, subiectam aliquo usq̄ arteriam continet, quam in macilentis natura, magnisq̄ pulsibus praeditis tactu motum aliquatenus indicante, deprehendimus.* His similia advertes in *L. de Dissect. Venar. it. apud Oribas. in L. de dissect. Muscul. c. 30. 32. Et 25. Coll. 31. 33.* Neque usus hujus rei Galeni tempore occæpit, sed longè vetustior, teste *Philosopho*, qui *3. H. A. 2.* ubi difficilem olim vasorum cognitionem variis de causis, & propterea alia ab aliis tentata memorat, tradit, quod quidem Principia venarum determinare aggressi sint ex illis,

quæ exterius comparerent in valde extenuatis hominibus. Athletas verò imprimis inspexisse sæpius Galenum monumenta ejus tradunt, ad musculorum venarumq; rationem percipiendam: *L. 1. de Dissect. Venar.* Hæc autem conspicuè in hominibus quotidie videntur, vel in curationibus quæ manu obeuntur, vel si etiam intensius clamaverint, spiritumvè intra continuerint, compresso thorace, quod Athleta in spiritus comprehensionibus (itã enim vocant) faciunt. Sicut etiam de Musculis *1. Ad. An. Brachii anterior Musculus*, qui juxta venam humeralem omnibus vel ante confectionem apparet, maximè in Gymnasticis duo habet capita suspensa. &c. Et ex Oribasio est cognoscere, quod in Atheletarum actiones Veteres Anatomici animi & corporis oculos intenderint. *24. Coll. 9. de Laryngis prominula parte idq; frangere Pancratiastæ conantur, siquidem animalia eo fracto, quamprimum suffocantur, cum ob eam cusam angustissimus transitus respirando aëri efficiatur. H. I.*

§. VIII. Præterea sollicitè in animalia quæ proximè ad humanam structuram accederent inquisivisse Veteres certo est certius. Ex his simiam potissimum corpus humani æmulum gerere, Galenus non propria solum, multaq; experientia est edoctus, ut *L. 1. 4. § 6. Ad. An.* edisserit; sed & Aristotelis Historiã plurimum ejus fidei videtur accedere: Quippe Philosophus *2. H. A. 8. 9.* multis quæ simiam hominemq;ve intercedat similitudo exponit. Et ante Galenum Rufus Ephesus de Partib. *C. H.* rationem reddens, cur interiora expositurus τὴν πίθηκον secuerit: ἐγὼ γὰρ τὴν φύσιν αἰθρώπων καὶ τοῖς ὀστέοις, καὶ τοῖς μαστοῖς, καὶ τοῖς ἀπλάγχθοις καὶ ταῖς ἀρτηρίαις, καὶ ταῖς φλεβῶν, καὶ τοῖς νεύροις, quum proximè humanam naturam contingant & ossibus & musculis & visceribus & arteriis & venis & nervis. Quin Galenus tantã hoc negotium, ut humano simillimum inveniret corpus, tractavit sollicitudine, ut & simiarum genera distingueret, ex illisq;ve unum, quod ipse pluribus *l. c. Ad. An.* describit, aliis prætulit. A quo quinq; alia animalium genera magis minusvè ab humanã Machinã corpus abludentia *6. Ad. An.* recenset; alterum ordine ponens eorum, quæ memoratam Simiarum speciem magis quam reliqua præ se ferunt, cynocephalos & cætera, quæ in Simiarum veniunt censum, quibus & Satyros & Lynces anumerare videtur. Tertium constituit, Urforum;

Urforum; *quartum* ferratis' dentibus præditorum & scum; *quintum* solipedum; *sextum* ruminantium. Rufus quoq; l. c. quædam à simiis alia genera animalium' humanam structuram quadantenus referentia commemorat, sed non isto ordine. *Ἄλλα δὲ τὰ ἀλλὰ τὰ πολυχιδῆ. ἴριτα τὰ ἀμφοδόντα τῶν διχηλῶν. τὰ δὲ μὴ ἀμφοδόντα τὴ μόνυχα προσώτω.* Proxima à Simiis sunt reliqua digitata animalia. Tertio autem loco utring; dentata ex bisulcis qua verò non sunt utring; dentata & solipeda longissimè absunt. H. I.

§. IX. Sed cum illa multos exagitaverit quæstio, an Galenus unquam ritè corpus humanum' secuerit, pauca de hoc etiam erunt adijcienda. Vesalius in Prefat. Operis Anatomici ad Carolum V. adseverat, sibi ex renovatâ dissectionis arte, diligentiori Galeni librorum prælectione constare, nunquam ipsum nuper mortuum corpus humanum reseculisse. At verò suis deceptum Simiis (licet ipsi arida, ac veluti ad ossium inspectionem parata hominum Cadavera occurrerint) crebro, veteres Medicos, qui hominum confectionibus se exercuerant, immerito arguere. H. I. Cujus causam suam faciunt pleriq; omnes Anatomicorum recentiorum. Verum nec dum Galenus omnibus Patronis destitutus est: insignem nactus olim virum Bartholomæum Eustachium quo malam causam melius agere nõrat nemo, cujus nec judicio industria, nec ingenio destituitur iudicium. Equidem fatear necesse est, non abluere prorsus à vero omnia Vesalii, & quod nostram quæstionem attinet, suspitione non carere Galenum, quod innumeris in locis ubi de partium in homine, ab illis aliorum animalium differentia agitur, non suam sed aliorum semper alleget experientiam: imprimis cum ambitio, à quo crimine eximi non potest, contrarium ipsi maximè suaderet. Vel ex memoratis liquet, quando Simiæ quoad interna humanis omnia similia adesse dicitur, quod fidem aliorum adducat magis. Idem ipsi mos est, quoties à reliquis animalibus distinguit partes humani corporis. Juvat L. de uteri dissect. evolvere c. 6. ubi figuram uteri exprimere opus erat, Herophilum, Dioclem, Eudemum, Praxagoram & Philotimum adducendo multus, tanquam sepia atramento affuso elabatur, ut an humanum ipsemet agnoverit, incertus hæreas. c. 8. de vasis spermaticis agens, neq; confiteri ignorantiam, neq; conscientia

scientiæ obloqui ausum arguit, cum Herophilii experientia acquiescat. Verba h. m. se habent, *Alia autem adhuc quatuor vasa, à venis & arteriis ad renes procedentibus exortum habentia non in omnibus mulieribus, sed in quibusdam (inquit Herophilus) in uterum ingrediuntur: quod ipsum ego quidem in aliis animalibus non reperi, præterquam rarissime in Simiis, non tamen dubito, quin Herophilus ipsa sæpe in mulieribus repererit. C. 9. de collo uteri cartilaginoso in iis, quæ sæpe pepererunt, aut jam aniculis; suæ Experientia non confidens, Herophilum dicit ipsius naturam assimilare gutturi summo c. 16 de utero humano controversiam compositurus, an cotyledones habeat, cum sint qui negent: satis agit qui Hippocratem, Dioclem Carytium, Praxagoram Coum, Nicarchi filium, paulo post Hippocratem natos, provocet, quod hi cum multis aliis id asserant, adjectâ solum analogiæ ratione ex Praxagora, quod sint oscula vasorum, quæ eminentias ad cotyledonum similitudinem innascentes circa impregnationis tempus habeant, quales item in intestino recto hæmorrhoidibus sunt. Quod assertum quamvis nec alienâ, nedum suâ, experientiâ probet, concludit tamen h. m. quare quod habeat sane uterus cotyledones & quatenus hæ ipsæ ab ipsis quæ in brutis animalibus sunt, differant, ex dictis manifestum jam factum esse opinor. L. 1. vero de Sem. c. 7. eminentiarum, similitudine cotyledonum, non meminit, neque sibi constat in defendendo Hippocrate, quum acetabula simpliciter, non habitâ ratione prægnationis velit fines esse vasorum per quos in singulis mensibus superfluum sanguinis ex toto corpore in uterum derivatur: Vid. Sc. Et mirari subit qui in aliis quoque, quæ hominem concernunt, tam rarum suæ experientia testimonium perhibeat: e. g. L. 1. de Sem. c. 4. ubi de abortu trium quatuorve à principio dierum agit, quod tunc sæpe mulieribus excidat genitura in membrana contenta, solum Hippocratem allegat. quin & ex resectione, inquit, animalium id deprehendere licet --- præstat autem Hippocratem audire de his --- hanc Historiam ex Hippocrate repetit, & c. 9. it L. de fœt. format. c. 1.*

§. X. Ejusmodi apud alios extant plura, quæ Galenum in suspicionem adducunt, ut qui cadaver humanum nunquam secuerit. Ut tunc autem hæc sese habeant, cum prolixis esse nobis non liceat, licet tamen quidem omnem hac vice non faciemus nostram, cum in utramque partem

partem probabilia suppetant argumenta: Quorum hinc inde copiam suggeret laudatus *Eustachius in Lib. de ossib. Sc.* diserte tamen ex monumentis posse erui ac demonstrari, quod Galenus corpora humana ipsius anatomæ subjecerit; putamus rectius negari. Palam hoc fiet, si illa adferamus, quibus ii, qui Patrocinium Galeni in se suscepere, fuere subnixi, e.g. *L. 1. Ad. An.* occurrit, quem etiam *Zacutus Lusitanus* produxit, locus, ubi adhortatur ut quis inspiciat partes in primis hominum, si anatomem κατὰ ἐπιπέδωσιν in rem suam vertere gestiât. *Inspicere enim, inquit, prius convenit multo otio quamq; particulam, ut statim visu cognoscatur* (scilicet in Anatomie κατὰ ἐπιπέδωσιν) *presertim in hominibus ipsis: sin minus, certè in animalibus homini similibus* H. I. Verum nullam vim huic inesse quis videt. Neque enim necessario is eo usus est, quod tanquam optimum consilium alteri suppeditat: Et posito, quod inspexerit Galenus, numquid etiam secuit illico? sed forte *alius 2. Ad. An.* hoc adstruet, quando perstringit, qui non humanas partes lustrarunt, & tamen de illis disputare præsumserunt. *Ilud sit, inquit, ut in venarum confectionibus maxime aberrantes cor incidant & linguam bubulam: hoc ipsum nescientes, quod plurimum ab humanis discrepent* H. I. Verum textus græcus consulendus, qui alium prorsus sensum hujus loci esse dicitat. Invehitur Galenus in illos, qui, quæ usui sunt Medico, vel Chirurgo, negligunt, viscerum contemplationi unice dediti. ἀγνοῦσι γὰρ ἴτι ποία φλεβὶ τῶν κατὰ ἀγκῶνα νεύρων, --- ὑπὸ κείλαι, καὶ ἀπὸ τῆς ἐν ταῖς φλεβοτομίαις μέγισται σφαλόμενοι, καρδίαν ἀναλέμυσσι καὶ γλῶτταν βοείαν, εἰδὲ ἀπὸ τῆς γινώσκουσης ὡς ἐστὶν ἀνομοιοτάτων ταῖς ἀνθρώπων. Corruit itaque & hic locus, quippe qui solum quædam hominis membra Galeno cognita subinnuit, non autem anatomem totius corporis ab ipso institutam indicat. Ut taceam quod, cum Galenus hac imbutus sit opinione, quod simia homini sit simillima, & quasi reliquorum animalium mensura, ipsi ferè perinde sit in Simiâ secandâ esse exercitum, aut in hâc quidpiam vidisse ac in homine idem fecisse periculum. *ex 1. Ad. An. & L. de venar. dissect.* hoc esset deducere.

§. XI. *Zacutus Lusitanus L. 2. de Medicor. Principum Histor. XLI. dub. 27. ex 2. Ad. An. c. 8.* affert, quod Galenus simiæ pedem ab humano differre, & structuram digitorum itidem utriq; dissimilem,
D tradi-

tradiderit. Cum quo Conf. 1. de U. P. ubi pollicem hominis à simiæ pollice differre, Sophistas redarguens asserit; & in sequentibus musculos humani describit. His Vesalius l. c. regerit, *mirandum esse maximè, in multiplici infinitatè humani corporis organorum ad Simiam differentia, nullam ferè nisi in digitis, ac poplitis flexu, Galenum animadvertisse: quam cum cæteris procul dubio omisisset, nisi citra hominis dissectionem ipsi fuisset obvia* H. I. Sed & ex Anatomæ ueritate hæc Galenus poterat novisse. Præterquam quod partes has seorsim valuerit considerare, ut tamen nec cohærentes lustraret, nedum ut totum corpus exacte dissecuisset. Duplex enim est Anatomæ quæ in mortuo administratur, uti Galenus ipsemet distinguit 9. Ad. An. quoniam & particulâ toti corpori adjacentem & ablatâ fieri potest. Ipleq; L. 3. apertè hoc fatetur. *Quare si tota manu propter hunc articulum resecta seorsum ipsam toto corpore remoto volueris incidere, nihilominus efficies. Sic namq; & me frequenter vidistis ea quæ continet, indicantem.* H. I. Idem Zacutus L. c. ex L. 2. s. com. de ratione victûs in morbis acutis n. 10. eo Galenum humana corpora secuisse probat, quod in homine venam sine pari alio adsurgere exortu quam in cætetis fiat annotatum reliquerit. Verum hoc solum illa Historia adstruit, quod Galenus quidem differentiam hominum & reliquorum animantium partes intercedere noverit, sed num suâ, an verò aliorum, Erasistrati, Herophili &c. inspectione ea ipsi obvenerit Scientia, incertum est; multo magis dubium relinquitur, an per administrationem anatomicam propriâ operâ rite absolutam eò pervenerit. Et eruditissimus, quem contra Vesalium conscripsit, Eustachii de vena sine pari commentarius, hoc asserere non sustinet, quin in quibusdam hic tantus vir satis habet, quod Galenum à crimine ignorantiae vindicet.

§. XII. Illa ex 14. de U. P. quæ etiam adducit Zacutus, de humani à reliquorum animalium Uteri differentia, quàm vereor ne destruant magis quam adstruant Galeni æstimationem. *Matricis verò capacitatem natura non fecit simplicem &c. conf. seqq, quî Sophistas asserentes nullo artificio hominibus quidem duos matricum sinus, suis verò quam plurimos effecisse naturam, refellat* Et 9. de Pl. Hip. & Pl. iis quæ simplicia quidem videntur, duplicia tamen re vera sint, accenset non solum cerebrum, sed & uterum femina-
rum

rum. Ex quibus liquet duos illum Sinus adsignasse, quod tamen Ex-
 perientia rerum repugnat. Sed oggeret quispiam Galenum L. de
 Uteri Sectione c. 6 refutasse alios qui sinus utero humano assignariat.
 Praxagoram scilicet & Philotimum: Cum recensuisset Herophili,
 Dioclis & Eudemi sententiam de parte uteri, qua vesicæ is non am-
 plius similis est, scilicet ubi à lateribus exortus papillares ad lumbos
 nutantes habet: (καὶ ὅσον ἐπὶ τῶν πλαγίων διποφύσεις ἔχει μαρτυ-
 ρεῖς πρὸς τὰς λαγόνιας ἀναπόβυστας) Praxagoras autem, inquit & Phi-
 lotimus sinus ipsos vocant, unde etiam uterum mulieris duorum si-
 nuum dicunt multorum autem sinuum eum, qui in animalibus est,
 qua multiplici partu sunt fecunda. At verò quod suis vulva, &
 si quod aliud animal multiplicem simul partum gestat, multorum
 sinuum est, hoc quidem valde verum est, non tamen in mulieribus
 hoc nomen decere arbitror. Verùm cum Liber de U. P. post hunc
 sit conscriptus, uti adductum caput attestatur, quod etiam innuit
 ex professo ipsum isti loco servasse hoc argumentum, cogitationes
 Galeni posteriores prioribus ex ipsius mente erunt preferendæ. Sed
 quam titubavit Pergamenus noster in expositione uteri humani pro-
 ximè ab illis sequentia ex L. de Uteri Sect. demonstrant. Ut illa quæ de
 suillo refert non examinem quàm inconcinnè differentiam hujus & vac-
 cini Uteri exposuerit, cum iustum insuper omiserit: Hanc enim ego ex
 pluribus sectionib9 differentiam observavi, ut quod illis animalibus, quæ
 sunt, πολλῶσιν, multe proles (NB, ex hoc ratio sinuum erat peten-
 da) offenderim Uteri Cornua protensa in longum; Vaccarum vero,
 Capellarum, Oviuum, recurva & in se reflexa: Porro, illorum Uterus
 profunde est sectus cornibus istis, ut vix fundi locus hic sit notabi-
 lis, sed à Cervice illico manifestò discreta excurrunt cornua, Y instar
 literæ Pythagoræ; Horum vero Cornua communi tunica, quousque
 rectâ excurrunt, sunt conjuncta, & videntur fundum satis amplum
 humani æmulum exhibere, sed ubi reflecti in se incipiunt discédunt
 à se invicem; àst tunicâ istâ communi rite incisâ sponte suâ & illud
 omne quod fundum mentiebatur in Cornuum istorum partes con-
 cedit, ut intervallum Cervicem & divaricationem Cornuum in his
 quoque exiguum reverâ intercedat. Notam sane effugere nequit,
 quod capras & vaccas secundum uterum mulieri similes dicat.

Secuimus sæpius uteros & caprarum & vaccarum, intactos, foetos, effoetos; sed in omnibus fundum in duas partes discedentem cornibus reflexis in tubam Fallopiam utrinque descendere vidimus, quorum respectu muliebris solum expansa ligamenta instar alarum ad globosi fundi latera, citra ullum divisionis aut reflexionis quarundam appendicum præter istas tubarum, signum exhibet. Atque luculenta satis extant monumenta, quæ ob oculos differentiam ponant horum, ut Galeni audacia vix veniâ digna videri possit. Sed & falsum ostendit Experientia, quod foetus caprarum, vaccarumve non in cornibus reperiantur: cum semper in iis reperiantur, si gemellos vel plures ferunt; si unum gestent, utrumque cornu quidem tunicæ chorion, & sub hac Allantoides, ad angustias usque; quibus in tubam exeunt, succingunt uti ipse *Gal. 1. de sem. c. 7.* testatur, & pluribus cotyledonibus utraque pars est referta. Verum foetus in altero cornu aut totus est situs; id quod toties sum expertus; aut maximam partem, cujus rariora mihi visa exempla: Quippe uti recte *Arist.* hæc animalia foetus extensâ figura in utero gestant. Neque est quod parva dicat cornua Vaccarum &c. usu enim quis cognoscet, quod satis capacia sint in prægnantibus. Quod mulierem spectat, illi non sunt cornua, quæ Galenus adsignat, nisi tubas quis isto nomine velit intelligi, quod tamen à Galeni mente alienum, vel *ex. l. c.* est manifestum, & alibi res declarabitur amplius. *Aristotelem* quidem ita explicare est, *3. H. A. 1. & 1. G. A. 3.* quod tubas innuat, quando *διεργαῖς* aut *διερεπῆς* dicit *ὄστεργε*, quum tubarum à cornibus alibi distinctam non facit mentionem.

§. XIII. Adeoque à verò longius non abit *Hoffmanni* sententia, quæ *n. 304. in L. de U. P. cit. Galenum* arguit *destitutum propriâ humani uteri Historiâ confudisse, quæ Herophilus de homine scripsit cum iis, quæ Praxagoras & alii de brutis.* Etenim antiqua fuit opinio de sinibus Uteri: *Auctor Hist. Philos. apud Galenum* quod *Stoici vulvis asseruerint loculos*, tradit. *Apud Ælianum 12. H. A. 16. Democritus suam & canem propterea fecundas asseruisse* legitur. Verum nostrum nunc non est in illud excurrere. Ab *Hoffmanno* forte non dissentiet *Fallopianus* qui in *observ. Anat.* in homine negat, in aliis brutis concedit Galenum Placentam novisse. Probatque *Clarorum Virorum* Sententiam etiam illud quod *L. c. de uteri sectione c. 14. 15. conf. 1. de Sem. c. 7.* Allantoidem præter Chorion & Amnion pro-

promiscue, nullo excepto, omni foetui assignet tunicas. Sanè *Autor Anatomie parvæ apud Galenum* itidem à Galeno humana non secta autumâsse credi potest, cum *sub initio* dicat ipsi præ aliis fuisse probatum consilium internas partes demonstrandi ex sectione brutorum. *Quia interiorum inquit, membrorum corporis humani passiones erant ignotæ, placuit veteribus Medicis & maxime Galeno, ut per Anatomiam brutorum animalium partes interiores manifestarentur.* Verò sit simile Galenum abstinuisse humani corporis anatome, vel quod foedum hoc ipsi visum, cum olim vel in animalibus secandis delicatum fuisse prodant, quæ superius attulimus. Empirici sanè *apud Celsum in præfat. L. 1.* tale quid leguntur causati. Ubi *vivorum* hominum Anatomem damnant; *ob hæc*, inquit, *ne mortuorum quidem lacerationem necessariam esse.* *Quæ etsi non crudelis, tamen fæda sit, Sc.* Si *Autor L. de natura & Ord. Cujuslib. Corp.* ipse Galenus esset, uti quidem ipsi adscriptus fuit liber, pateret causa: *Apollini, Hippocrati ---- inquit, placuit mortuorum viscera scrutari ---- hoc autem nobis facere ipsa humanitas prohibet, eo quod ipsis scrutantibus omnia manifesta atq; aperta sunt.* H. I. vel magis, quod barbarorum Mancipiorum corpora secandi commodam nunquam nactus fuerit occasionem; vel aliud quodcunq; causæ subfuerit; Nos illi acquiescimus, quod evidentibus documentis à Galeno corporis humani rite peractam anatomem evinci nequeat, *Conf. Schol. Eph. Ger. M. P. An: XI. Obs. 61.*

§. XIV. Verum illo, quod Galenus hæc industriæ laude destituatur, tota antiquitas tamen eadem minime erit defraudanda: neq; enim omnia possumus omnes. Sufficit fuisse ex omni vetustate, qui non minus ac moderni humanis cadaveribus secandis incubuere. *Suidas in Hermogene* refert hujus cadaver sectum, & cor hirsutum inventum, quodq; multum humanam naturam magnitudine excefferit. Illustrius hoc reddent ista, quibus constabit, paucissima nostræ ætati reliqua facta, quorum vel in humano corpore novè inventorum gloriam suam facere possit, cum plerorumq; fere omnium apud Veteres non obscura extent indicia. Admiratione sane dignum, quod Galenus, de quo incerti sumus an hominem unquam secuerit, in paucis admodum, de partibus humanis doctrinæ, capitibus à veritate aberrarit; Quin conjecturam inde est capere,

quanta fuerit fides, quanta demonstrandi sollicitudo, quanta singulatim quælibet describendi promptitudo in his, quorum Historiâ aut *αὐτοψία* (Aristotelem, Erasistratum, Herophilum &c. intelligo) in ejusmodi Galenus subnixus tanta cum fiducia animi quævis definire est ausus.

CAPUT III.

I.

AN Veteres rationem subjectorum distinxerint, & elegantiam administrationis observarint. *Anatomen Vivorum exosam fuisse olim. II. Philosophis tamen & Medicis, Galeno etiam frequentatam. III. Nec Morbosorum neglectam aut Monstrosorum; ne dum foetorum animalium. IV. Temperamenta observata, mactandorum, cum ratione tempestatis, temporis à morte, V. ætatis, habitudinis, aptitudinis, necis. VI. de elegantia Veterum circa anatomen, & diversis Eorum hanc in rem commentis: præcipuè de separatione κατὰ δάρον ἢ τομήν. VII. de Anatome incruentâ. VIII. de Bilisanâ Balsamatione, an Anatomica multum conferat?*

§. I.

Persuasum autem forte cuipiam, *Veteres*, licet in variis animalium generibus, & inter illa etiam in homine cultum anatomicum exercuerint, non tamen tantâ cum curâ suas instituisse Sectiones, sed temere illas præcipitasse, neque *rationem subjecti, quodnam huic vel illi demonstrationi convenientius*, neque *elegantiam administrationis*, quâ alia atque alia speciosius atque distinctius spectaculo exhiberi queunt, serio attendisse. Verum quod *subjecti conditionem* attinet, illam rectè expensam ab antiquitate, ordine sumus ostensuri. Præstat aliquando viva animalia, est quando mortua, quandoque sana, aliquando morbida præstat anatomæ subicere. Omnium horum delectum prudenter à Præcis Anatomicorum adhibitum ipsorum monumenta loquuntur. *Vivorum* quidem quod attinet *anatomen*, crudelitatis illam non solum in hominibus, de quo ex *Celso supra*) sed & in aliis quibusvis animalibus olim damnatam, ex *Plutarchi Orat. I. de carn. esu sub fin.* est colligere, quando Athenienses in illum qui vivo hirco detraheret pellem, animad-

animadvertisse memorat --- mentionem feci Xenocratis & quod Athenienses pœnam ab eo exegerunt, qui vivo arietem pellem detraherat (τὸ ζῶντα τὸν κερὸν ἐνδεσπῶν) Non est autem puto, vivum torquens (βαταύθων) deterior eo qui interficit. Sed nimirum magis ea sentimus quæ consuetudini, quam quæ naturæ repugnant. Ex quibus posterioribus causa simul eruitur, sc. quod & præter consuetudinem sit, & quod miserè ita animal excrucietur. Uti disertius in subsequenti Orat. 2. sub initio edisserit: interficiamus animal, inquit sed miserantes & dolentes, (ὅχ' ὑβελίζοιτες ἔδει βαταύθοντες non contumeliâ aut torturâ afficientes, qualia nunc multa perpetrant. Alii verubus ignitis porcos jugulant ut ferri tinctura sanguis extinctus atq; diffusus carnum molliat, delicatamq; reddat. Alii uberibus suum fetarum instante jam partu insiliunt, eaq; calcant, ut sanguinem & lac & tabum Embryonum simul corruptorum inter puerperii dolores subigentes (proh piacularis Jupiter) edant ex animali quod maximè corruptum. Alii grues & olores oculis consutis inclusos in tenebris saginant &c. H. I. conf. Clem. Alex. 2. Strom. Isto itaque modo credes averfatos Antiquos fuisse vivorum lacerationes, non minus, quæ propter Experimenta, in Physicæ vel Medicæ usum, quam quæ ab Apiciis propter luxuriam fuerunt excogitatæ. Ut silentio præteream, aliarum quoque gentium legibus cautum ut ne ejusmodi in animalibus perpetrare liceret.

§. II. Non abhorruisse tamen à viventium intimiori perlustratione Medicorum & Philosophorum proceres certum est: Non quidem quod naturam essent exosi, sed quod aliâ viâ mysteria naturæ introspicere non liceret) cum Democrito protestati. Ita Aristoteles ex Chamæleontis vivi dissectione ipsius actiones addiscere satagit, cujus argumentum extat 2. H. A. II. fin. Dissectus hic totus spirare (ἐνεπυεῖ τὴν πνεύματι) præterea diu potest, motu admodum exiguo adhuc circa cordis sedem exstante, & cum omnes partes corporis contrahit, tum vel maximè costas cogere atq; adducere potest. H. I. Conf. 5. G. A. I. ubi quod expergiscantur in Utero fœtus ex anatomis probat. Quid Erasistratum, Herophilum, quos nec generis consortium à vivorum hominum inspectione abstinere potuit, memorem? Quid alios, qui vitam inter experimenta anatomica consumserunt

rust

runt? Quorum sanè Exemplum secutus Galenus distinctè mortuorum & vivorum animalium insectiones suscipiendas utiqve dicitat. Mortuorum quidem, ut in quibus exerceantur prius, quo eo celerius in vivis, ubi periculum in morâ, partium situm &c. deprehendant. Vid. e. g. 8. *Ad. An.* loco non uno: *Vivorum vero magis*, ut ex his usus partium accuratè cognoscatur, quod prolixius esset declarare. ex *L. 9. Ad. An. 1. In cadavere siquidem anatome celebrata, cujuscunq; particula situm, numerum, substantie proprietatem, magnitudinem, figuram & compositionem edocet. In vivo autem insectione interim functionem ipsam manifesto ostendit interim ad hujus inventionem rationes exhibet. Nulli igitur obscurum est mortui animalis insectionem precedere eam oportere, quæ in vivo administratur. Quamvis in Simia ejusmodi spectaculum odiosum dicat alicubi. Inde adeò seorsim integros libros de vivis, alios ab eis de mortuis ressecandis conscripsit, *De ordine Librorum suorum c. 3. precedit liber de Anatomia mortuorum, hunc autem duo sequuntur de insectione vivorum. de utroque genere librorum Confer. 1. Ad. An. init. & L. 3. Prætulisse autem Galenum anatomen vivorum itidem liquet. Quippe cum alio in loco L. 1. Ad. An. taxet, qui hanc negligunt. Quare non est, inquit, quod mireris tam multa existere, quæ animali adhuc vivo ignorarint: quandoquidem quæ diligenter ressecantem sola spectare conveniebat, tanquam nullius momenti reliquerunt. An enim unquam incidere conati sunt, aut funiculo partes vivente adhuc animali excipere, ut quenam actio laderetur condiscerent? Quibus gemina occurrunt *L. de fœt. format.* Caterum plerosq; decipi verisimile est, & præsertim Philosophos, ut qui nihil sciant de his quæ in insectionibus animalium apparent, ex quibus maximè commoda sunt, quæ circa viventium insectionem artificiosè ad partium in cute sitarum denudationem factam apparent. Quin peculiariter, quoad certas partes, vivorum insectionem diversis cautionibus opus habere, edocet 7. *Ad. Anat.* e. g. de thorace: *Hæc itaq; in mortuo etiam animali facere tibi præcipiam: in vivo autem, idem sane administrationis modus est, quantum ad insectionem pertinet: verum nonnihil præterea accedit, de quo iis, qui me dissecantem viderunt, non opus est plura dicere: qui autem non viderunt illis exponere oportet, quod ex thorace arteriæ & venæ ad præcordia elabuntur propter mucronate***

nate

33

nate cartilaginis radicem: singula utring; paria: quibus pertusis necessario in dictâ confectione sanguinis profluvium accidit, & præsertim ex arteriis. Quæ sane egregia est observatio, multiq; mihi in experiundo eam usus fuisse, gratus fateor. Paulo ante vero l. c. cum indicarat, obscurius licet, quomodo cor vivente adhuc animali citra thoracis sinuum convulsionem detegatur 6. de Pl. Hip & Pl. subdit, planum esse, non aliter quam in mortuo animante nudandum, veluti prædixerat. Re ipsa ostendens, quod accurate distinxerit, quæ communia utriq; generi anatomes essent, & quæ singulis propria. Ipseq; Galenus hoc nomine septimum & octavum libros Administrationum Anatomicarum commendat L. de Propriis libris c. 3. Septimo & octavo, inquit, de partium spiritualium Anatomia: illo quidem de iis partibus, quæ cordi, pulmone & arteriis tam mortuorum quam vivorum adjacent; hoc autem, quæ circa universum pectus sunt, tractatur. H. I. cum quibus Conf. L. 9. Ad. An. ubi de cerebro quædam paulo post in vivorum administratione tradenda monet: & sub init. quodnam sanguinis in mortui & vivi cerebro discrimen, ostendit. Si quidem præfatus fuerat, se hoc libro indicaturum, quoniam pacto ea, quæ in cerebro & spinali medulla per confectionem apparent, optimè queas intueri, tum mortuo tum vivo adhuc animante. Et plurima de usu partium tradita hæc viâ experiundi, viva secando, ipsi cognita passim occurrunt. e. g. citato L. 7. Ad. An. de motu pulmonis & thoracis: de sanguine in arteriis contra Erasistrateos: Item L. 2. Pl. H. & P. de Carotidum officio; (contra observationem Aristotelis 3. H. A. 3. traditam, cui tamen prior Rufus Ephesus experientiam opposuit, uti de Orig. An. C. VIII. §. VIII. monuimus) Item de respiratione & vociferatione, de musculorum motu &c. Non rectè itaque Veteres æstimo accusari, ac si sectiones suas in strangulatis ut plurimum administrarint, cum magis ad anatomem vivorum ipsos respexisse, ex dictis manifestum sit redditum.

§. III. Sic quoque documenta non deerunt quibus morbosorum anatomem Antiquitati in usum adhibitam declaretur; (sana siquidem quod secuerint, nullus unquam vocarit in dubium) Historiæ, quas ex morbosorum & monstrosorum sectionibus colligimus, si numen aspiraverit cœptis disertius idem eloquentur. Quamvis ex Ægyptiorum instituto res quoque sit manifesta, quibus in morborum cognitionem

E

secta

fecta cadavera demonstravimus. de Orig. Anat. C. V. §. II. & Auctor
 L. de Nat. & Ord. cujuslib. Corp. ap. Gal. Apollini, Hippocrati, Apol-
 lonio, & ceteris placuisse mortuorum viscera scrutari, scribit, ut sci-
 rent unde vel quomodo morerentur. Egregium est quod in Hippo-
 crate L. de morbo sacro reperi: differens de cerebri constitutione in
 iis, qui à pueritia hoc morbo laborant: hoc ex anatome animalium
 eidem malo obnoxiorum addiscendum suadet. Id ipsum autem præ-
 cipue ex ovibus hoc morbo correptis quis cognoscere queat, ac præ-
 fertim capris, quæ frequentissima hoc morbo prehenduntur. Horum
 si caput secueris (ὅν Ἀγκόψης ἴνν κε Φαλὴν cerebrum humidum &
 sudore redundans & male olens deprehendes. Ex quo certè cogno-
 sces morbum, non Deum, corpus infestare. Sic etiam in homine se-
 res habet. Sc. H. I. Hippocratem secutus Galenus 5. de locis affectis
 c. 2. de causis palpitationis, an à multitudine humoris in pericardio?
 Vid. Simiæ & galli exempla. Conf. in VII. Aph. 55. de hepate hy-
 datidum pleno, in jugulatis animalibus observato. Quorsum pa-
 rum abest, quin referri queant & illa quæ Aristoteles 4. G. A. 4. fin.
 observat de intestino recto in ovibus & vaccis quibusdam coalito &c.
 It. quæ 4. P. A. 2. ubi ad morbosorum anatomas provocat, Et quo tan-
 to illustrior Veterum circumscriptio compareat scias ipsos accurate
 observasse & quæ rara occurrunt præter consuetudinem, ita tamen
 ut his nollent metiri, quæ secundum naturam existunt, vel ut pluri-
 mum. Vid. quibus Gal. 1. Ad. An. finit. Quod autem de his & omni-
 bus quæ in confectionibus apparent, scire convenit, auditum semel,
 memoria ita mandabis ut nunquam excidat. Etenim inveniuntur
 quedam, quæ paulum à primo initio vel à medio itinere ad usq; finem
 immutentur, alia in ipso solo fine, nonnulla etiam connexa semper
 appensis, vel appensa sunt connexis vel hujusmodi quandam aliam
 parvam differentiam sortiuntur. Si igitur tibi quoq; membrum
 incidenti aliquod præter ea quæ à nobis scripta sunt quippiam inve-
 niatur, scito rarum hoc existere. Quare nec antea damnare opera
 nostra oportet, quam ipse quemadmodum nos frequenter corpora
 inspexeris. H. I. Ita Aristoteli geminus lien observatur 4. G. A. 4.
 & quod in nonnullis quadrupedum Lien cum jecore locum per-
 mutasse visus sit. 1. H. A. 17. aliaque plura passim. Huc forte tra-
 hendæ & fœtorum animalium Sectiones, quas Veteres non negle-
 xisse

35

xisse, Aristoteles 4. G. A. 1. & Philop. in h. l. attestantur. Conf. Gal. passim L. de Semine, de Uteri dissect. de format. fetus &c. Et ex L. de nat. Pueri Avium in ovis generationem Hippocrati accuratè perspectam, liquet.

§. IV. Quin plurimas alias circumstantias observatas à Veteribus, Anatomicarum Administrationum libri, quos Galeni solum, neque illos integros, nostra viderunt secula, plenius edisserunt. e. g. L. 6. de separatione Mesenterii à Peritonæo. Acideo in quibus animalibus sanguis naturâ humidus est, & aër calidus, & mors non multo ante præcessit, sanguis simul ac animal fuerit jugulatum ex vasorum quæ abrumpuntur oris profluit, Sin autem multo ante animal sit mortuum vel jugulatum, vel crassi succi, quemadmodum canis & Leo, vel etiam aër frigidus, sanguis ex vasis non effunditur. H. I. In quibus sollicitudo Galeni conspicua elucet: quippe & temperamentum animalium secundorum distinguens, temporis conditionem frigidam & calidam diversimode expendens, (quod non minimi usus experientiâ ipsemet cognovi) insuper ex mora que mortem & anatomen intercessit, annotavit. Paria his suggerunt, quæ L. 4. extant de Nervorum in musculis buccæ demonstratione: Sed animal, inquit, recens mortuum vel calidum adhuc esse convenit, vel aërem æstivum, vel calidam certe ipsi superfundere. Nam si buccarum particula refrixerint, immobiles fiunt corii modo concrecentes. Imo reprehendit illos qui ejusmodi non attendunt e. g. L. 1. Sed primum ostendamus communem multorum Anatomici nomen falso sibi arrogantium errorem, qui interdum animal incidunt longo tempore mortuum, ut partes jam inaruerint, contractæque sint &c. & in seqq. At cum tendines unâ cum indumentis circumdati ad sua deducis capita velut dictum est, recens admodum simia est, prius quam digiti exiccati induratiq; tendinibus trahentibus renituntur: vel aquâ calente in eam confusâ, recenti similem efficit: vel dum modicè induruerint, manibus tuis emolliens, permovensq;. H. I. Conf. Infra citandus L. VII. de aliâ inter animal, quod recenter, & quod longe antea mortuum, differentiâ ratione anatomicæ ἐνδειξις.

§. V. Præterea ætatis & habitudinis diversitatem, diversimode operationibus suis inservire, magnâ animadvertit cum solertiâ. L. 8. est. Ad. An. de fibris muscutorum intercostalium: Maximè verò evidens

in hisce musculis fibrarum inspectio est, animaliam vetulo simul & extenuato H. I. Quâ in re citra dubium Aristotelem auctorem secutus est: Etenim Hic, cum 3. H. A. 2. in: de difficili antiquis vasorum sanguineorum demonstratione, alia atque alia protulisset: quodq; alii, cum in cadaveribus dissectis (ἐν τεθνεώσι ἢ διηρημένοις τοῖς ζώοις) inspicerent, summa principia cernere nequiverint, alii in hominibus admodum extenuatis, per ea quæ extrinsecus viderentur, interna venarum principia definierint: c. 3. sibi quod apprimè consultum videretur exponit: Cum itaque perdifficile sit venarum examen, solis in strangulatis animalibus jam ante extenuatis (ἐν μόνοις τοῖς ἀπεπνυμένοις τῶν ζώων ἀεγλεπνυθείσιν) effici potest, ut satis percipiat, cui hæc res sit cura. Cujus rationem ex c. 5. perfectius addices; rerum insuper usu illud confirmante. Egregius quoque est locus Galeni L. 4. Ad. An. qui prolixè docet, in nervorum anatome quale animal sit eligendum. Porro & animalium certa genera Galenum ad certis demonstrationes exhibendas elegisse ex l. c. 8. Ad. An. liquet. ad Thoracis anatomen suam præferens: Etenim animal inquit, amplissimâ præditum voce aptissimum est ad sectiones, in quibus & vox quedam offenditur. Hoc merito Præceptores nostri ignorarunt, ut qui relativam Anatomen nunquam fuerint experti &c. Non minus indicia sunt & genus mortis Antiquos elegisse quò maximè conspicuæ relinquerentur partes in examen revocandæ. Galenus suffocata strangulatis prætulit, teste L. 1. Ad An. Accepi igitur, inquit, ipsam (simiam) in aquâ suffocatam, ut facere consuevi, ne videlicet pars ulla colli contundatur, eandem rationem & L. 4 adducit. Quamvis L. 7. jugulata ipsi aliquando etiam probata arguat.

§. VI. Tanta illorum fuit cura in distinguendis corporibus, ut quæ cuique convenirent demonstrationi solertes adhiberent. Nunc conandum, ut, quod non minus elegantia studuerint, ostendatur. Qui memoriâ revolvit, quæ de adminiculis anatomicarum operationum ab Extispicina acquisitis retulimus, illum faventem credo habitura Antiquitas est iudicem. Neque defuerunt priscae ætati singularia administrationum commenta, de quibus Galenus aliquando gloriatur. Qui enim in Carotidum naturam potuisset inquirere, ut certo sciret (de quo suprâ ex 2. de Pl. H. & Pl.), vasis sanguineis, an nervis

vis

vis potius esset adscribendum, quod animali ex ligatura obtingit? sanè seduli licet fuerint nostri seculi Anatomici, (quantum memini) nondum tamen hanc rem aggressi sunt, ut qui experimentis litem dirimerent, antiquitatis fide hanc in re unice subnixi. Neque vulgaris est illa demonstratio, uti quis sentiet, modo periculum fecerit. Ita industriè Galenus 4. Ad. An. describit modum, quo scite nervi à musculis separandi. Sarius igitur est acu quæ tenue linum ducat submissa laqueum singulis nervis proxime maxillam circumdare, deinde nervo per linum tenso fibras ipsius utring, adimere. Atq; hoc in unoquoq; nervo erit faciendum ut musculo toto exciso nervi universi relinquuntur inviolati, quo ipsorum exortus musculis crassioribus qui subjacent ablatis appareant. Idem L. 6. observat, alia magis avellendo aut distrahendo, digitis scilicet, aut simili lævi, sed non acuto instrumento; alia vero secando seu cultro separanda esse. In his igitur partibus, inquit, non sine ratione omnia facile separantur à peritoneo detegunturq;: in concavâ parte avelli magis quam separari vasis necessarium est. κατὰ τὰ αὐτὰ ἐν εἰκότως ὑποδέξασθαι τὴν ἔν γυμνῶν τὰ τὴν ἀποκαταστάσεως πάντα. Κατὰ δὲ τὸ σπυρὶν δὲ τὸ ἀπὸ αὐτῶν μᾶλλον ἔδειξασθαι τοῖς ἀγέστοις ἀναγναστῶν ἐστὶ. Quod sane rite observasse magno emolumento est ei, qui Anatomica sectatur: Hujusq; instituti Auctorem fuisse Herophilum L. 3. subinnuit, dum ita de panniculo carnoso à cute separando disserit. Nempe membrana à partibus sibi subjectis resolvitur dum fit excoriatio, quam Herophilus græcè δάπτω appellavit nomen à verbo δέπω derivans tum actioni, tum affectui commune. Sicut etiam à τέρνω i. e. incido vocabulum τέρνω quod est incisio, deduxit: quæ actionem quidem hominis incidentis, passionem vero corporis incidendi significat &c. Et rationem paulò post addit hujus, cur alia per δάπτω, alia per τέρνω sint separanda. Etenim sciendum tibi erit permagnam minoris majorisve rationem tum in partium coitu, tum in adhesionem consistere, alia siquidem magis, alia minus coeunt & appendent. Nam commune est iis quæ coitu uniuntur, tum ut citra sectionem aut violentam omnino divisionem, invicem separari nequeant, tum ut separatorum ulcus in utroq; appareat. At partium quæ appendent & unitas est infirma, tenuitas interrupta fibris, & divortium facillimum, quod excoriationē appellant.

Vid. prolixè sequentia ubi *εγχειρησιον* scalpellum cuti applicandi exhibet. Huc faciunt etiam quæ L. 4. ubi afferit, bifariam in uno animante confectionem administrari posse; alludens ad dictam *δεσπον* & *Ιουην*. Vid. conferatur L. 5. init. & L. de Dissect. Uteri c. 9.

§. VII. Cum vero inter ea quibus Veterum simplicitatem nostræ ætatis Profectores ingenio superasse creduntur *anatomie incruentæ* summis efferatur laudibus, videndum, num vetustas, aliàs non minus emunctæ naris, operam dederit, ne sanguis operationis cursum in secundo impediret, fingendo repagula, sive ligaturis filisq; sive alio quovis modo, ne limites transgrederetur, efficiens. *Regnerus de Graaff* in Tr. de Ufu Siphonis varios hujus ingeniosæ anatomes modos recenset, *conf. ejusdem defensio partium genitalium*. Pariter *Galenus* reliquit, mirabile & in hoc Priscorum fuisse ingenium, cum, quantum fieri poterat, à profusione sanguinis non uno modo sibi caverint; L. 7. Ad. An. commendans sectionem, quam sanguis minus foedaret. *At citra sanguinem inquit, munus obire satius est. Quippe cum alia manifestius licet contueri, tam cordis involucri radicem, non ex ipso cordis corpore ortam, sed ex vasis inde procedentibus.* Et in sequentibus, nihil adeo universam manûs operationem in animantis corpore solet perturbare ac sanguinis profluvio. Tres autem Veteres adhibuisse cautiones, quibus id assequerentur, idem declarat. Alia quidem erat, eligendo animalia, quæ vasa multo sanguine non haberent turgida: hinc adeo animalia inter se comparat ratione sanguinis profluvii in vivorum, mortuorum ac jugulorum anatomie. *Quare animali multo jam antea mortuo si aliquod hujus partis vas diffeceris haud magnum sanguinis profluvium excitabis: multo minus si nec aliter quam jugulatum intuerit. Sin autem vel recens, vel multi sanguinis compos fuerit non nihil etiam Sanguinis ad cordis panniculi radicem ex vasis convulseratis defluet.* Altera, vitandi loca, in quibus vasorum ejusmodi trunci insigniores: sic e. g. l. c. in sequentibus monet, quod ex thorace arteria & vena ad præcordia elabantur propter mucronatæ cartilaginis radicem: singula utrinq; paria: quibus pertusis necessario in dicta confectione sanguinis profluvium accidit, & præsertim ex arteriis. Unde non procul à fine in exercitatos Erasistrateos, quos hæc

hæc latuit ἐγχεῖσθαι ridet. Alius, inquit, ex hoc grege intercostales
 persecuit, sed confestim prima sectione tum arteriam, tum venam per-
 tudit. Itaque irridentes illum Adolescentuli ---- ipsi pollicita ipsius
 explerunt, nempe dissecuerunt sicuti apud me didicerunt, intercostale
 sed ita ut nullum vas convulnerarent --- Ea propter etiam L. 8.
 suos in mortuis prius exerceri voluit. Primum in mortuo, ait, ani-
 mali te velim singulorum quæ dicentur, situm ex amissim cognoscen-
 do assuescere: ut in vivo celerius ipsa citra sanguinis effusionem qua-
 tenus fieri licet detegas: Et ibidem suo exemplo sat illustri probat,
 quibus in locis non sit metuenda profusio sanguinis certæ partis
 anatomen instituenti; quo ipso quoque vivum diutius detineri possit
 animal. Tertia denique cautio fuit, ut ligatura probe confieret.
 Hujus methodi etiam Regnerus de Graaff meminuit l. c. Galenus autem
 L. 7. Ad. An. hæc: Quare si in administratione nullum voles sangui-
 nis effluxum arteriâ sectâ fieri, integrum est non modo supernis sed
 imis quoque partibus funem circumdare, quem videlicet postea resolves
 ubi calamus imposueris, Atqui ego non circumdo, cupiens arteriæ
 corpus ab illisu & contusione liberum conservare H I Atque ejusmodi
 plurima alia offerunt Galeni ἐγχεῖσθαι ἀνατομῆς quæ extant.
 Quod si & Marini, de administrandi anatomen ratione, commenta-
 ria possideremus, forte palmam dubiam redderet nostro ævo ma-
 jorum in hoc genere studium. De his Galenus 4. Ad. An. l. m. de
 suarum sectionum administrationibus in commentarios redigen-
 dis. Quas & Marinus, inquit, libro uno prægrandi obscuro sane in-
 terpretatione, imperfecto autem doctrinâ comprehendit. Quâ in re
 Galeni judicium annon ambitio corruperit, cuius conijciendum re-
 linquo: Sufficit hæc vice demonstrasse, non imperitos fuisse Veteres
 aut socordes, cum itidem promptitudini & facilitati in secando inten-
 derint animos.

§. VIII. Quod Bilsi verò methodum concernit, præprimis quo succis
 præparata atque à putredine vindicata corpora anatomæ admovet quâ
 de re ipsius vera delineatio Actorum Anatomicorum legatur; fateor
 illius facti monumentum in Veterum scriptis mihi nondum fuisse ob-
 vium. Balsamationem, quam dicunt, Friscis fuisse cognitam deducere
 esset in proclivi; sed quod in rem anatomicam verterint, illius rei ar-
 gumentum nondum deprehendi. An quoque tantum emolumentum

ex hâc re in artem nostram sit redundaturum, penes me incertum est. Neque enim corpora, sive sicco, sive liquido fuerint à temporis edacitate conservata, apta sunt, quæ inflanda vasa commode præberent, aut ubi per Siphonem illis liquor posset immitti. Experimentus ipsemet sum in rana viridi, quam integro lustro in liquore conservaram, casu autem quodam accidit, ut evanido isto humido *scleton*, quale veteribus propriè dicebatur, aridum & siccum corpus, relinqueretur: cujus Extâ rimans, vix alias atqve alias partes distinguere potui, adeo vis subtilissima liquoris intima penetrans, omnia humido exuens adstrinxerat duritie quæqve in unam fere moleculam, Eximenti oculum in globum quasi vitreus succus induratus occurrit: illud manifestius comparuit ubi Crystallini humoris qualescunque vestigium ex albo colore erat reliquum, sed ita vitreo erat agglutinatus, ut integer ab hoc avelli non posset. Neque dispar prorsus ratio est illorum, quæ liquido asservas, siquidem necessum est, ut qualiscunque ille sit fluor æthereæ sit naturæ, i. e. subtilissimæ, siccissimæ ita ut partes subiens omnes aqueum humidum imbibat, citra corrosionem tamen terrestrium, suas autem particulas terrestres humidi loco reponat: quo ipso fieri non potest, quin vasorum natura, quibus humor est, amicus & maxime familiaris, corrumpatur. Neque unquam tam feliciter in asservato, saltem per unum mensem, corpore quam in recenter extincto experimenta anatomica succedent. Non tamen veluti prorsus inutilem hunc, vel alium quemvis modum incruentæ Anatomies rejicio, cum certus sim, quod suo fructu non careat. Verum tanta mysteria hisce inventis subesse, ut quibus perspectis Veteres tanquam profanos & non initiatos sacris anatomicis procul esse juberemus, neutiquam concedendum puto. Cum & hos multo labore id egisse constet ut Anatomici (non instar Poparum aut victimariorum qui Cyclosum in morem cruore horridam immolationem reddebant, uti *Lucianus in dialogo de Sacrificiis* attestatur) citra foeditatem eleganter naturæ ob oculos ponerent miracula.



COROL-

COROLLARIUM

*Ænigmatum,
quibus*

*graphicè Senectutem depingit Ecclesiastes,
optimis interpretum placitis respondentem
tentans enodationem.*

ECCLES: XII.

v. II.

Quid est Vultus? *Cælum:*

in quo

Frontis serenitas, Sol;
Oculorum fulgor, lumen;
Nasi jugum, Luna;
genarum purpura, stellæ;

in quo,

Soli, lumini, Lunæ, stellis,
inducunt tenebras;

Frons caperata,
oculi languentes,
narus depressus,
genæ lividæ:

in quo

*nondum dilapsum
densa excipit nubes imbrem;
necdum siccatas
imminens gramia urget lacrymas.*

F

Quid

v. III. Quid est Corpus? *ergastulum* animæ:

Cujus

custodes, manus;

columina, pedes:

corrumpit custodes tremor;
prosternit columina titubatio:

Cujus

Lapides molares, dentes;

fenestræ, pupillæ:

minuit molarum numerum,
minutumq; operi imparem reddit,
caries;

obscurat fenestrarum crystallos,
radiis quî liberum negent transitum,
suffusio.

v. IV. Quid est gurgulio? *Via patens,*
quâ

Spiritus reciprocâ vicissitudine commeat:

Cui

Ostia, colles faucium;

Mola, Linguae ministerium:

Clauduntur ostia, obsidentibus isthmum catarrhis;

Assa vox mola,

pulsibus, quibus in verba concidenda, invalidis;
offensione denegatâ dentium;
labiorum deficiente compressione:

Excitat molam Gallicinium;

in

in gemitus querulam solventibus insomniis:

Nec filiae cantus sopire dolorem norunt;

Surdus ad suaves sonorum modos auribus.

v. V. Quid est Caput? *Sublime illud,*

homini datum,

ut erectos ad sidera tollat vultus:

Hoc

ardua habere suspecta;

in plano formidare offensas;

facit vertigo:

facit silicernium:

Huic

Amygdalus, Coma;

flos, canities;

locusta, macilentia;

Pinguedo, Cachexia;

Squalor, quo diffluit, Capparis;

aut si placet,

Appetitus, fastidium:

Idem,

fractum malis,

pronus inclinatur

spectans terram,

hospitium ævi

sepulchrum,

præbituram:

F 2

Mor-

Mortemque sciens in foribus,
non solum in insidiis,
Sibi ipsi *namias concinens* vivo,
Commeatu pectoris non libero
gembundos trahit anhelitus,
haud aliis opus habens *præficis*.

v. VI. Quid sunt nervi? *funiculus argenteus*;
funiculi disruptio, esto Paralysis;
Quid meninges? *Vitta aurea*:

quam

Cerebri & medullæ

rutilantia sanguinis vivi pingunt fila;

Vittæ conquassatio sit Convulsio;

sive mâlis

stagnatio, cursûsve repressio, Apoplexia esto;

Quid est Ventriculus cum intestinis? *Fons*;

Cujus *hydria* Vasorum Lymphaticorum aquæductus;

Contritio hydriæ, hydrops, vel inter cutem aqua

Quid est Sanguinis circuitus? *rota*;

cujus *cisterna*, Corculum:

collabitur rota,

innato,

quo circumagatur,

deficiente *humido*.

Latinitatem Laëtantius, Versionem electio, sensum Anatomica dedit & Phy-
sica; illustrationem exempla, demonstrationem causæ, connexionem
leges dabunt methodi.






ULB Halle 3
004 589 297



Sb.

VD 17







EXERCITATIONUM ANATOMICARUM
IN PUBLICAS LECTIONES.

DE IIS QUÆ CONTRA

15
1684, 2

PERITIAM VETE- RUM ANATOMICAM

afferuntur

IN GENERE,
PRIMA,

Quam
AMPLISSIMÆ FACULTATIS
MEDICÆ CONSENSU

PRÆSIDE

PHILIPPO JACOBO *Hartmann*/
Phil. & Med. D. P. P.

Examini eruditorum,

submittit

JOHANNES SIGISMUNDUS LANGE,
REGIOM: PRUSSUS,

D. 21. Mart. 1684.

REGIOMONTI,
Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND.
ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.

